


# NUNTIA



PONTIFICA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS  
RECOGNOSCENDO

# NUNTIA

*Directio:* PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO

VIA DELLA CONCILIAZIONE, 34 - 00193 ROMA

*Administratio:* LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTÀ DEL VATICANO

1980

## INDEX

	PAG.
Schema canonum de cultu divino et praesertim de sacramentis . . .	3-64
The Schema <i>De magisterio ecclesiastico</i> - Part I (George Nedungatt S.J. - Relator) . . . . .	65-86
Révision des canons <i>De normis generalibus</i> (Archim. Elias Jaranian - Relator) . . . . .	87-118
Resoconto sulla pubblicazione delle <i>Fonti</i> della Codificazione Orientale (Luis Glinka O.F.M.) . . . . .	119-128

---

*Tres naviculae symbolice plures Ecclesias Orientales sui iuris significant quae eadem directione — codice communi nempe — per mare vitae animas ad salutem ducunt ut πηδάλιον, kormčaja, al-huda.*

# **NUNTIA**

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS  
RECOGNOSCENDO

**10**

**TIPOGRAFICA POMPEI S.p.A.**

## SCHEMA CANONUM DE CULTU DIVINO ET PRAESERTIM DE SACRAMENTIS

*Animadversio: Schema quod, speciali facultate pro hac Commissione obtenta, hic lectori proponitur, die 2 iunii vertentis anni, ad Patriarchas ceterosque Ecclesiarum Orientalium Hierarchas necnon ad alia quoque Organa consultationis transmissum est, eo consilio, ut mentem sententiamque circa schema aperiant atque animadversiones oportunas, si quae propo-nendae habeantur, addant, non ultra tamen diem 31 decembris 1980.*

### *Praenotanda*

Praeter Litteras Apostolicas «Crebrae allatae sunt», diei 22 Februarii 1949, quibus canones de disciplina sacramenti matrimonii pro orientalibus Ecclesiis promulgati sunt, nullum prodiit pontificium documentum quo ceteri de sacramentis canones vel *de temporibus et locis sacris* necnon *de cultu divino*, a Pontifica Commissione ad Codicem Iuris Canonici Orientalem Redigendum inde ab anno 1948 iam extantes, promulgarentur. Attamen, hi etiam canones recognitioni subiecti sunt, ex pontificio quidem mandato, ut pote ex Litteris Constitutionis praesentis Commissionis, nempe Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo, satis colligi potest. Quapropter, inde ab initio laborum, Consultoribus qui Coetui a Studiis *de Sacramentis* adscripti sunt, canones isti, in sic dicto «textu initiali» ex archivo praecedentis Commissionis desumpto, viritim divisi sunt; deinde vero, sive ad scientiam canonicaem provehendam sive ad necessariam pro Coetuum a studiis laboribus informationem, publici etiam juris in commentario *Nuntia* facti sunt<sup>1</sup>.

Schema «De Cultu Divino et praesertim de Sacramentis», quod hic proponitur, fructus est, multa meditatione quaeſitus a duobus Coetibus a studiis, scilicet respective *de Sacramentis* et *de Matrimonio* denominatis. Schema deinceps Coetui a Studiis Centrali Consultorum Commissionis, ante Paschalia festa anno 1979 vertente coadunato, substantialiter placuit, non nullis emendationibus tamen in textum aliquorum canonum introductis.

Allocutionem Pauli P. P. VI ad Sodales Commissionis die 18 mensis martii anni 1974 habitam, quae totum laborem Commissionis illuminat, necnon «Principia fundamentalia» Orientalium Codici recognoscendo a Plenario Coetu Membrorum Commissionis, eodem anno, adprobata pres-sius sequentes, Consultores schemate praesenti proponunt ut eae tantummodo normae in Codicem Ecclesiarum Orientalium communem inserendaे

<sup>1</sup> *Nuntia* 4, pp. 41-71 de Sacramentis in genere, de Baptismo, Chrismate et Eucharistia; *Nuntia* 6, pp. 66-79 de Poenitentia et Unctione infirmorum; *Nuntia* 7 pp. 64-103 de sacramento Ordinis, de locis et temporibus sacris, de cultu divino.

sint, quae ad bonum commune omnium Ecclesiarum, ad animarum scilicet salutem promovendam necnon vinculum communionis inter eas magis in dies firmandum, vere necessariae visae sunt, ceteris ad ius particulare singularum Ecclesiarum remissis; quapropter dum «textus initiales» schematis 564 canones complectebantur<sup>2</sup> disciplina canonica prout hic proponitur, 236 tantum canonibus constat.

Principia fundamentalia de «natura orientali» Codicis eiusdemque «oeccumenicis proprietatibus» consultores moverunt ad proponendas non paucas, maioris etiam momenti, mutationes vigentis iuris, quae quidem, consentaneae visae sunt postulatis Concilii Vaticani II de rituum orientalium custodia necnon legitima varietate theologicarum formularum quibus aspectus quidam Mysterii revelati ab orientalium Ecclesiarum fidelibus magis congrue percipitur (cfr. Conc. Vat. II, Decretum *Unitatis Redintegratio* n. 17). Hinc aliquae theologicae considerationes, de singulis sacramentis imprimis, retentae sunt quae traditioni etiam respondent cum, etsi naturae Codicis minus consonae, in canonum collectionibus orientalibus passim fere inveniri possunt.

Ad technica vocabula quod attinet, plerumque voces iam in usu retentae sunt illis exceptis quae in oriente communiter alio modo exprimuntur, ut sunt plura vocabula «byzantina» in thesaurum verborum aliarum linguarum, ut syriaci sermonis, recepta (v. gr. Myron) - necnon illis quae unam tantummodo scholam sapient et ab orientalibus vix intelliguntur, nisi ad rectam de sacramentis fidem exprimendam necessaria omnino videbantur.

#### TITULUS SCHEMATICIS GENERALIS NECNON CANONES GENERALES

Ut legenti oculis statim occurrit, *Cultus divinus* in primis in titulo generali nominatur. Proponitur enim ut canones de Sacramentis in sectione Codicis de *Cultu* compraehendantur. Huius propositionis praecipua ratio est necessitas sese conformandi orientalium menti quae considerat Sacraenta, maxime Eucharisticum Sacrificium, adaequate a *Cultu divino* distingui non posse.

Inter *canones generales* inveniuntur sive normae quae ad *Sacraenta in genere* (cann. 1, 5-9) sive eae quae ad canones (can. 2, 3) de *Cultu divino in genere* in «textibus initialibus» referuntur. Plura tamen in hac sectione omissa sunt.

In can. 3 § 1 Patriarchis et Synodis episcoporum ius adprobandi libros liturgicos recognoscitur, clausula addita («ad normam iuris») qua alii canones Codicis indicantur quibus hoc ius magis in particulari determinatur:

<sup>2</sup> Motu proprio «Crebrae allatae sunt» canones 130; *Nuntia 4* canones 133 (123 + 10); *Nuntia 6* canones 62; *Nuntia 7* canones 239 (68 + 93 + 78) = 564.

§§ 2 et 3 eiusdem canonis ex Decreto «Orientalium Ecclesiarum» n. 23 et ex Constitutione «Sacrosanctum Concilium» n. 22 § 3 Vaticani II Concilii desumpti sunt.

Normae de communicatione in sacris (cann. 4 et 5) innituntur Decreto conciliari Orientalium Ecclesiarum nn. 26-29, Directorio de re oecumenica nn. 42-47, 55, atque Instructione de peculiaribus casibus admittendi alios Christianos ad Communionem Eucharisticam in Ecclesia Catholica, diei 1 iunii 1972, nn. 4 et 5.

### *De baptismo*

Canones de baptismo (cann. 10-26) plerumque disciplinam in omnes Ecclesias orientales receptam proponunt. Plura, quae in «textibus initialibus» continebantur, omissa sunt sive quia minus congruere videntur cum natura iuridica Codicis, ut sunt e. gr. minutae praescriptiones de baptismo amentium vel foetus humani, sive quia ius particulare de his satis providere potest, e. gr. requisita ad liceitatem de patrinis admittendis quod spectat vel ea quae de ritibus vel caerimoniis baptismi in libris liturgicis extant.

Sacerdotem tantummodo esse ordinarie baptismi ministrum can. 12 statuit, diaconis nonnisi in § 2 nominatis, ubi de baptismo in casu necessitatis agitur, quod communi Orientalium disciplinae consentaneum esse videatur.

In can. 13, id quod iam anno 1958 propositum est (cfr. *Nuntia* 4, p. 45 can. 9), substantialiter retinetur, scilicet obligatio parochorum cuiuslibet ritus, latino haud excluso, non denegandi sacerdoti catholico facultatem baptismum conferendi iis qui sui ipsius ritus sunt, necnon canonica exhortatio (§ 2), Hierarchis latini etiam ritus facta ad designandum, in locis ubi non pauci degant fideles orientalis ritus proprium parochum non habentes, sacerdotem sui ipsorum ritus qui his fidelibus baptismum conferat.

Norma quae in can. 16 § 4 schematis proponitur, de baptismo infantis qui in vitae discrimine versatur, requirit ut saltem unus ex parentibus consentiens sit. Hoc novum est in iure, sed ideo requiri videtur quod actus fidei natura sua voluntarius sit (cfr. Conc. Vat. II Declaratio *Dignitatis humanae* n. 10) et parentes infantem talis actus haud capacem, iure naturae, repraesentent ipsius iura et officia exercentes.

In § 2 canonis 18 retinetur textus, alia tamen forma, anno 1958 a precedenti Commissione propositus (cfr. *Nuntia* 4, pag. 47, can. 25 § n. 2), quo permittitur, in matrimonii ubi pater ad Ecclesiam Orthodoxam pertinet, baptizari proles, matre consentiente a sacerdote catholico ritus patris;

proles ita baptizata adscribitur Ecclesiae catholicae baptizantis, i.e. Ecclesiae Catholicae ritus patris.

Ad patrinos quod attinet, nonnisi requisita ad valide munus patrini agendum in can. 20 § 1 continentur; quae liceitatem hac in re spectant, ad ius particulare remittuntur (§ 3). In § 2, prae oculis habito *Directorio de re oecumenica* n. 48, facultas fit iusta de causa admittendi simul cum patrino catholico etiam patrinum qui Ecclesiae orthodoxae adscriptus est. Haec norma strictior relate ad Orientales proponitur cum in canone non agatur de «baptizato non catholico» sed de «orientali acatholico».

De *cognitione spirituali* ex baptismo orta nihil habetur in canonibus de baptismo, verumtamen haec affirmatur in can. 147 schematis (ubi de impedimentis matrimonialibus) cum res ad venerandas Orientis traditiones pertineat et ab Catholicis ac Orthodoxis plerumque magni habeatur atque ad ligamina spiritualia in mundo hodierno in dies extollenda multum conferat.

#### *De chrismatione sancti myri*

Explanatio canonum de sancti myri chrismatione (cann. 27-32), utpote in schemate proponuntur, legi potest in *Nuntia 2*, pag. 13-20.

Fons canonis introductorii (can. 27) est 48 canon Laodicensis Synodi (sub finem saec. IV) qui ita sonat: «Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum chrisma caeleste percipere et regni Christi participes inveniri».

In can. 28 proponitur ut Episcopo, utpote ministro originario huius sacramenti (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* n. 26) reservertur sanctum myron («chrisma») conficiendum, dum ipsa sacramenti collatio, myro ab Episcopo consecrato adhibito, a presbyteris inde ab antiquissimis temporibus in Oriente fiat. Quilibet presbyter orientalis ritus, non tantum ius habet, sed etiam officio tenetur hoc sacramentum coniunctim cum baptismo conferendi, salvo casu extremae necessitatis (can. 30), unde de «facultate a iure concessa», ut visum est, relate ad presbyteros orientales minus convenit loqui, dum ea potius, ad presbyteros latini ritus, in Concilii Vaticani II documentis etiam, refertur. Decretum *Orientalium Ecclesiarum*, n. 14, fere ex integro § 1 can. 31 schematis constituit, cum in § 2 eiusdem canonis prohibentur presbyteri orientales qui latini ritus infantibus baptismum administrent, ne simul cum baptismo chrismationem sancti myri conferant «ne quid in praeiudicium disciplinae, cui baptizatus subicitur, agatur».

In canone 32 norma proponitur, intimae trium sacramentorum initiationis christianaee coniunctioni (cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum*

*Concilium* n. 71) atque immemorabili et probatae Orientis traditioni congrua, de administranda divina Eucharistia quamprimum post receptum baptismum una cum chrismatione sancti myri, idque ad normas iuris particulatis. De hac re etiam can. 46, schematis, agit, ut infra dicetur.

#### *De divina Eucharistia*

In «textibus initialibus» (*Nuntia*, 4, pp. 55-71) titulus «de Divina Eucharistia» in duo capita dividitur, quorum primum «De Sacrificio Divinae Liturgiae», alterum vero «De Divina Eucharistiae Sacramento» agunt. Ad haec alia sectio, «De custodia et cultu Divinae Eucharistiae» nuncupata addenda est (cfr. *Nuntia* 7, pag. 99). In textu recognito, ut hic proponitur, haec omnia sub unico titulo comprehenduntur, cum Divina Eucharistia insimul Sacrificium et Sacramentum sit. Tota materia nunc 20 canonibus persolvitur qui, utpote pauci, visi sunt subdivisionem in capita minime requirere.

Concelebrationem can. 35 sustinet, ita tamen ut ius sacerdotum singulatim Divinam Liturgiam litandi non minuatur (cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium* n. 57).

In canone sequente (can. 36) de concelebratione sacerdotum diversorum rituum norma proponitur: concelebratio «interritualis», quae dicitur, nonnisi ex licentia saltem praesumpta, Hierarchae loci videtur permittenda, dummodo omnes concelebrantes saltem eandem anaphoram, primi scilicet celebrantis, sequantur. Haec norma nova est et proponitur praesertim, ad caritatem atque unionem inter Ecclesias fovendas.

Hic animadvertendum est Consultoribus, exarato quodam canone, explicite prohibere concelebrationem Divinae Liturgiae cum sacerdotibus non catholicis haud opportunum visum esse. Haec enim prohibitio, donec plena inter Ecclesias communio, cuius concelebratio Divinae Liturgiae signum est supremum, restauretur, omnibus orientalibus perspicua est eaque ex canonibus 4 et 5 huius schematis indubie eruitur, cum ibidem limites circa in sacris cum acatholicis communicationem distincte exprimuntur.

Praescriptum Concilii Vaticani II in Decreto *Orientalium Ecclesiarum* n. 15 contentum de obligatione Divinam Liturgiam diebus dominicis et festis participandi, canon 43 schematis verbatim refert. In canone 44 vero obligatio recipiendi Divinam Eucharistiam urgetur, ita tamen ut consuetudines uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris salvae tectaeque maneant. Ad hanc obligationem quod attinet, tempus Paschale maxime commedatur una cum aliis sacris temporibus in quibus Orientales, antiquissima traditione innixi, Divinam Eucharistiam recipere consueverunt ut sunt, in pluribus saltem

Orientalibus Ecclesiis, sollemnitates Natalis Domini, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli.

In canone 45 proponitur ne permittatur christifidelibus ordine sacro non auctis ut Divinam Eucharistiam distribuant, exceptis casibus verae necessitatis ad normas iuris particularis. In canone sequenti (can. 46) retinentur consuetudines probatae necnon normae liturgicae plurium Ecclesiarum, iuxta quas pueris usum rationis nondum potitis, opportunis adhibitis cautelis, licet administrari Divinam Eucharistiam non tantum in periculo mortis, sed aliis etiam in casibus. Nihil novi hic. Norma haec iam in schemate anni 1958 continetur, pluribus documentis a Sede Apostolica editis vel adprobatis innixa (cfr. *Nuntia* 4, p. 66 can. 109).

De cultu et custodia Divinae Eucharistiae unicus canon (49) proponitur quo praescriptiones librorum liturgicorum, quae sat diversificantur, canoniam vim obtinent in hac re summi momenti.

De oblata occasione Divinae Liturgiae stipe tres tantummodo canones in schemate proponuntur (cann. 50-52). In can. 50 § 2 «textus initialis» anno 1958 a praecedenti Commissione elaboratus (*Nuntia* ib. pp. 63, can. 83 § 1) substantialiter retinetur, quippe qui traditioni genuinae orientalium maxime correspondeat. Adiungitur (in § 1) generalis norma de liceitate recipiendi oblata quae christifideles pro celebratione Divinae Liturgiae ad proprias intentiones offerunt. Haec norma, pluribus Consultoribus ita sentientibus, potius *praeter* quam *contra* antiquas consuetudines orientalium dicenda esse videtur. Nec opportunum visum est praescriptiones magis particulares, veluti quae in «textibus initialibus» (*Nuntia* ib. pp. 62-64) continentur, pro futuro Codice proponi. Justitia tamen postulat ut sacerdotes orientales qui a christifidelibus diversi ritus, latini praesertim, stipem occasione Divinae Liturgiae recipient normas de hac re in Ecclesia cui oblatores adscripti sunt vigentes adamussim observent. In schemate igitur non invenies nisi can. 52 ex quo tamen satis constat normas de «missarum stipendiis» in C.I.C. contentas necnon ceteras Sedis Apostolicae de iisdem praescriptiones vim suam retinere etiam relate ad orientales qui talia stipendia recipient. Visum est etiam facultates Episcopis hac in materia concessas alio modo, quam per Codicem ipsum, ad Orientales, si casus fert, extendi posse.

#### *De sacramento poenitentiae*

Decem et quinque de hoc sacramento canones in schemate propositi (cann. 53-67) visi sunt ad eas normas pertinere quae omnibus Ecclesiis Orientalibus communes esse debent, ceteris omnibus ad ius particulare remissis (cfr. *Nuntia* 6, pp. 56-65; 66-79).

De necessitate individualis confessionis can. 54 agit. Praeter casum periculi mortis aliasve gravis necessitatis «absolutio generalis» nonnisi ad normas iuris particularis, ab Auctoritate legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statutas, impertiri potest. In his normis ferendis, intuitu sive boni communis christifidelium catholicorum sive sani oecumenismi, requiritur, in canonе proposito, prævia consultatio cum Hierarchis aliorum rituum, Orthodoxis non exclusis.

De speciali facultate, qua presbyteri ad valide sacramentum poenitentiae administrandum indigent, in cann. 55-58 agitur. Hi canones, uti in spe Consultorum est, correspondent, sive conceptui Orientalium «spiritualis patris» sive intentioni accessum ad hoc sacramentum faciliorem reddendi. Quapropter proponitur ut presbyteri qui vel vi officii sibi collati vel speciali concessione Hierarchae loci, in quo domicilium vel quasi-domicilium habent, facultate gaudent sacramentum poenitentiae administrandi, eadem uti possunt ubique terrarum et erga omnes, servatis normis a Hierarchis locorum statutis necnon obtenta licentia Rectorum ecclesiarum in quibus sacramentum poenitentiae administrare intendunt. Novissimas has condiciones *ad liceitatem esse ex generalibus iuris principiis de textuum Codicis interpretatione facile colligitur.*

Canon 60 de «complicis absolutione» multas post considerationes ita propositus est ut Orientalium sensui magis respondeat. Facultas absolvendi complices in textu negatur non tantum circa gravia peccata contra castitatem, sed circa quodcumque grave peccatum, excepto semper mortis periculo de quo in can. 59.

Item nova est etiam formulatio in can. 61 de falsa denuntiatione confessarii iisdemque fere rationibus ac can. 60 innixa. Formalem rationem negationis absolutionis in casu falsae denuntiationis confessarii Orientalibus non videtur restringendam esse ad unam tantum speciem denuntiati criminis. Unde proponitur ut in canone de falsa cuiuscumque criminis denuntiatione, contra quam confessario nulla patet defensio propter sigillum sacramentale ad quod tenetur, provideatur, loco solius «criminis sollicitationis» de quo in cann. 894, 904, 2368 C.I.C.

In can. 67 adfirmatur obligatio quamprimum sese confitendi eorum qui sibi consci sunt gravis peccati. Expressam canon propositus non facit mentionem de obligatione semel in anno peccata gravia confitendi, cum haec ex canone 44 schematis sufficienter pateat eademque colligitur ex commendatione, christifidelibus qui peccatis gravibus non onerantur facta, ut saltem temporibus ieunii et poenitentiae in propria Ecclesia servandis ad sacramentum poenitentiae accedant.

Ad normas de *indulgentiis* quod attinet (cfr. *Nuntia* 6, pp. 74-77) propositio est ut eaedem in futuro C.I.C.O. non includantur, etsi, ut obvium est, christifideles orientales indulgentiis, normis et conditionibus in *Enchiridio indulgentiarum* a S. Poenitentiaria Apostolica editis adamussim servatis, frui laudabiliter possunt. Item iura, quibus Patriarchae ac Episcopi orientales in concessione indulgentiarum gaudent, magis convenienter, prout visum est Consultoribus, inter speciales facultates ipsis a Sede Apostolica concessas enumerari possunt, quippe quae ad pietatem potius quam ad ius canonicum stricto sensu spectare videantur.

#### *De unctione infirmorum*

Canonibus 68-74 de infirmorum unctione, ut in schemate proponuntur, ad genuinas Orientis traditiones Consultores redire voluerunt. Sacramentum hoc non tantum iis administrari potest «qui adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versantur». (cfr. *Nuntia*, 6, p. 78, can. 179 § 1), sed iis etiam qui quacumque gravi aegritudine laborant. Haec enim veniunt nomine morbi in canone 68 schematis. Vox haec primo loco «morbum mortiferum» significat, deinde vero ceteras graves aegritudines, quod etiam ex libris Orientalium liturgicis atque ex recepto usu confirmatur. Unde necesse visum non est maiores determinationes (e. gr. de dubie gravi aegritudine) in Codicem omnibus Ecclesiis Orientalibus communem referre.

#### *De sacramento sacerdotii*

Vox «sacerdotium» in titulo adhibita, vocem *Ordo* non excludit, cum haec in pluribus schematum canonibus appareat, sed magis terminis Orientalium respondere videtur.

Exceptis nonnullis canonibus (cann. 91 n. 5, 94) de ordinibus minoribus, tota haec sectio nonnisi episcopatum, presbyteratum ac diaconatum respicit. Normae de minoribus ordinibus ad ius particulare remittuntur.

Canon 77 de competenti mandato ad quamlibet ordinationem episcopalem requisito, Patriarcharum ac Synodorum iura in Decreto Concilii Vaticani II *Orientalium Ecclesiarum* n. 9 enunciata, refert. In aliis Codicis locis (e. gr. intra canones de iuribus Patriarcharum) dicetur quaenam auctoritas in singulis casibus mandatum hoc emittere possit.

Ordinatio episcopalis semper a tribus episcopis, etsi diversi ritus, confenda est, quod inde a primo Sanctorum Apostolorum canone praescribitur, excepto casu «extremae necessitatis» (can. 77), quae quidem unica ratio proportionate gravis a canonis observantia excusans esse declaratur.

Quilibet presbyter vel diaconus a proprio Episcopo ordinari debet aut cum legitimis litteris dimissoriis (can. 72). De litteris dimissoriis cann. 80-85 agunt.

Circa canones de sacrae ordinationis subiecto (cann. 86-104) notandum quod inter requisita *ad liceitatem* enumeratur aetas canonica viginti trium annorum expletorum (can. 92) ut quis diaconus ordinari possit, firmo iure particulari provectiorem aetatem praescribente. Dispensatio ultra annum ab aetate iure communi requisita reservatur Sedi Apostolicae.

De diaconis permanentibus, qui in Oriente generatim matrimonium ineunt ante susceptionem ordinis sacri, nulla datur particularis regula, nisi ut ipsi, Hierarchae iudicio congrua cognitione doctrinae christiana et scientiae pro ordine suscipiendo ac munere diaconali rite exercendo praediti sint (can. 90 § 2).

De irregularitatibus aliisque ad ordines impedimentis schema propositum introducit in ius canonicum Orientalium Catholicorum distinctas notiones irregularitatum, sive ex defectu sive ex delicto, ac impedimentorum. Haec distinctae notiones, etiamsi in antiquis canonibus consuetudinibusque substantialiter continentur, hactenus sive inter se sive cum ad sacram ordinationem requisitis (e. gr. aetate canonica) confundebantur. Obsolutis omissionis, schema distinctius separat normas quae ordines recipiendos respiciunt ab aliis quae ad ordines exercendos referuntur. Irregularitates et impedimenta quae in schemate retinenda proponuntur de cetero in fontibus iuris orientalibus fundamentum habent (cfr. «textus initiales» cum indicatione fontium in *Nuntia* 7, pp. 73-75).

Ad dispensationes ab irregularitatibus ac impedimentis ex parte Episcoporum quod attinet, nonnisi eae quae maximi momenti sunt Sedi Apostolicae reservandae proponuntur (can. 103); Patriarchis vero facultas sit, de consensu tamen Synodi Episcoporum, dispensandi ab omnibus irregularitatibus, una tantummodo excepta, scilicet irregularitate ex delicto publico homicidii vel abortus. Nec omissa est norma, iam in usu, quae cuilibet confessario tribuit facultatem ab irregularitatibus et impedimentis in casibus occultis urgentioribus dispensandi, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam receptos excercere valeat atque firmo onere recurrendi quamprimum ad competentem Hierarcham (can. 10 § 2).

### *De matrimonio*

In canone 115 notiones proponuntur matrimonii, eiusque finium atque essentialium proprietatum iuxta doctrinam Concilii Vaticani II, in unum co-

niugendo canonem primum et secundum ex Litt. Apost. «Crebrae allatae sunt», ubi ius nunc pro Orientalibus de matrimonio vigens continetur.

Loco vocum «contractus matrimonialis», «matrimonium contrahere», «matrimonio assistere» aliae voces, in toto schemate ponuntur, quae vocabulo biblico «foedus» necnon Orientalium de matrimonio sacramento conceptionibus magis respondent ut sunt «matrimonium inire» vel «celebrare», «matrimonium benedicere».

Canones 118 et 119 novi sunt, atque hoc consilio proponuntur ut trita in iurisprudentia quaestio dirimatur, quaenam scilicet lex applicanda sit cum Ecclesia iudicare debeat de validitate matrimonii initi inter personas quae, ut proponitur, aptius in specialibus Sedis Apostolicae instructionibus non tenentur.

Excluditur in schemate can. 4 ex Litt. Apostolicis «Crebrae allatae sunt», quo variae species matrimonii definiuntur. Vox enim «matrimonium ratum» in traditione orientali non habetur et vix ab Orientalibus intellegitur. Nec videtur necessarium in Codice Orientali definitionem «matrimonii consummati» tradere, cum haec fieri non possit, nisi facta expressa mentione elementorum quae copulam matrimonii consummativam constituunt, quae, ut proponitur, aptius in specialibus Sedis Apostolicae instructionibus delineari possunt. Hac in materia visum est sufficere id quod in canonibus 183, 192 et 193 schematis preascribitur, i.e. ut matrimonii vinculum sacramentale, matrimonio consummato, nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi possit, necnon ut matrimonii non consummati solutio nonnisi a Romano Pontifice obtineri possit adamussim servatis normis a Sede Apostolica statutis.

Notiones matrimonii *legitimi* et *putativi* in iure canonico Orientali applicationem vix, vel ne vix quidem, habent, et, si quando eam habere possint, facile in locis propriis Codicis id alio quidem modo enuntiari poterit.

Normae de sponsalibus ad ius particulare remittuntur (can. 120). Item de praescriptis in 16 canonibus ex Litt. Apostolicis «Crebrae allatae sunt» circa ea quae matrimonii celebrationi praemitti debent, aliquot tantummodo in schemate servantur, ceteris ad ius particulare remissis.

In capite II *de impedimentis in genere* (cann. 128-137) retinetur, quoad substantiam, prohibitio, ne iure particulari statuantur impedimenta matrimonium dirimentia, excepta gravissima causa, collatis praeterea consiliis Hierarcharum aliarum Ecclesiarum quorum interest et consulta demum Sede Apostolica (can. 130).

Disciplina de dispensationibus simplicior proponitur. Episcopi ab impedimentis dispensare possunt, exceptis 7 casibus, qui Sedi Apostolicae in schemate reservantur (can. 133 § 1 et 3). Patriarchis vero concedenda pro-

ponitur amplissima facultas dispensandi, unico impedimento, sacri presbyteratus nempe, excluso (ib. § 2).

Caput de *impedimentis prohibentibus* proponitur ex parte supprimendum, ex parte vero, canones de mixtis nuptiis quod attinet, alio transferendum. Hi canones in schemate sub titulo peculiari «de matrimonio cum non catholicis» (cann. 148-152) inveniuntur.

Attenta arcta cum christianis non catholicis orientalibus in rebus fidei communione, quam Concilii Vaticani II Decretum *Unitatis redintegratio* enixe extollit (nn. 13-18), non ex aequo tractantur in schemate matrimonia Catholicorum cum Orthodoxis et matrimonia Catholicorum cum Protestantibus. In can. 148 proprie dictum impedimentum circa primam speciem matrimoniorum mixtorum non proponitur, sed necessitas licentiae tantummodo loci Hierarchae impletis condicionibus iure particulari determinatis quae, ut patet, imprimis curare debent ut in tuto ponatur principium indissolubilitatis matrimonii necnon catholica prolis educatio.

Impedimentum aetatis (can. 138) proponitur extendendum ad 18 pro viro et 16 pro muliere annos expletos, facultate facta iure particulari maiorem aetatem statuendi. Mutatio quae hic proponitur postulatis maioris maturitatis in iis qui matrimonium in hodierna societate ineunt respondet ac simul vitat ne nimia habeatur discrepantia hac in re inter Codicem iuris canonici ac Codices civiles.

Impedimentum ordinis sacri (can. 141) retinetur, iis tantummodo diaconis exceptis qui iam coniugati ordinem sacrum receperunt, quae exceptio in can. 10 Synodi Ancyrae fontem aliquomodo habet.

Impedimentum voti religiosi nova formula proponitur (can. 142) terminis, qui schemati *de Monachis ceterisque Religiosis...* correspondent, adhibitis.

Proponitur ut supprimatur impedimentum raptus de quo in can. 64 ex Litt. Apostolicis «Crebrae allatae sunt»: hoc enim ab orientali traditione abest, et ipse raptus hodie perraro locum habet. Ceterum ex normis de validitate consensus, matrimonium validum in casu sufficienter excludi videtur.

Consanguinitatis impedimenta in linea collaterali reducuntur ad quartum inclusive gradum; multiplicatio huius impedimenti supprimitur (can. 144).

Affinitas ex digeneia vel trigeneia, sicut et multiplicatio huius impedimenti supprimuntur; affinitatis simplicis impedimentum in linea collaterali reducitur ad secundum gradum (can. 145).

Impedimenta tutelae et cognationis legalis de quibus in can. 71 ex Litt. Apostolicis «Crebrae allatae sunt» supprimuntur; impedimentum enim tutelae non viget nisi in duabus mundi Nationibus, de impedimento vero cognationis.

tionis legalis (quod institutum viget in quarta parte Nationum) sufficienter providetur in can. 127 n. 2 schematis propositi.

In capite IV *de consensu matrimoniali* (cann. 153-162) proponuntur elementa consensus matrimonialis naturaliter validi, qui nulla humana potestate suppleri potest (can. 153). Quod ad incapacitates consensum matrimonialem validum eliciendi spectat, normae iuris vigentis retinentur, sed clarius exprimuntur. Incapacitas totalis tribus ex capitibus oritur (can. 154): carentia sufficientis usus rationis ad consensum eliciendum; gravis defectus discretionis iudicij circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda; gravis anomalia psychica quae impedit ut obligationes matrimoniij essentiales assumantur.

Proponitur ut simplex error circa personae qualitatem quae nata sit ad communitatem vitae coniugalis graviter perturbandam, caput nullitatis constitut, si tamen matrimonio ineundo causam dederit (can. 156); si quis vero matrimonium init dolo circa talem qualitatem deceptus, proponitur, ut in casu caput nullitatis extet etiamsi dolus non fuit perpetratus ad obtinendum consensum (ib. § 3).

Prohibitioni matrimonium sub condicione ineundi de qua in can. 83 ex Litt. Apostolicis «Crebrae allatae sunt» addita est clausula: «condicio si nihilominus apposita sit pro non adiecta habetur, firmo can. 159 § 2». Hoc nonnisi post plurimas considerationes ac studia factum est (cfr. *Nuntia* 6, pp. 34-41). Consensus matrimonialis hac clausula nullo modo suppletur, sed actio tantummodo matrimonium impugnandi ex capite condicoris apposita omnino praeclusa manet.

Matrimonium per procuratorem inire in can. 172 prohibetur, nisi ius particulare id expresse permittat, quo in casu etiam ceterae de procuratore praescriptiones eodem iure statuendae sunt; vix tamen Orientalium liturgiae de matrimonio praescriptiones in casu servari poterunt.

In capite V *de forma celebrationis matrimonii* (can. 163-177) delegaciones generales matrimonia benedicendi (can. 165) a Hierarchis locorum concedendae proponuntur cuilibet sacerdoti proprii ritus. Si ipsa delegatio, semel obtenta, ob quodcumque vitium invalida sit, matrimonium ipso iure sanatur iuxta can. 166 schematis propositi, dummodo matrimonium ritu sacro coram duobus testibus celebratum sit.

Quoad sit dicta «loca exclusiva» alicuius ritus proponitur ut ea nec validitatem nec liceitatem matrimonii benedictionis affiant, nisi Hierarcha loci expresse aliud statuerit (cann. 164, 167 § 1 n. 3).

In can. 169 § 2 praescriptum Conc. Vaticani II in n. 18 decreti Orientalium Ecclesiarum contentum ita completur ut nullum iam oriri possit dubium de necessitate benedictionis seu ritus sacri in matrimoniis mixtis cum

Orientalibus non catholicis, quippe quod cum universalis in Oriente praxi et multorum saeculorum traditione firmiter cohaereat.

Dispensatio a formae canonicae elemento «ritus sacri» Sedi Apostolicae vel Patriarchae reservatur (can. 169 § 2); a ceteris vero elementis canonicae formae ipsi Hierarchae loci dispensare possunt.

In capite VII *de separatione coniugum* (can. 183-197) plures mutationes proponuntur, ut doctrina clarius exprimatur, attenta iurisprudentia recentiori, praesertim circa solutionem matrimonii in quo una saltem pars baptismum non recepit (can. 191). De nova forma, Orientalibus magis accomodata, qua in schemate «matrimonium ratum et non consummatum» tractatur, substantia iuris vigentis plene servata, supra iam dictum est. Canones «de separatione coniugum» modo magis pastorali proponuntur, pluribus, e. gr. de causis separationis (can. 195 § 2), ad ius particulare remissis.

Quod spectat ad canones *de matrimonii convalidatione* (can. 198-206) mutationes non sunt substantiales, sed formam ac dispositionem materiae potius respiciunt, excepto can. 206 de facultate Hierarcharum loci concedendi, servatis servandis, sanationem in radice in singulis casibus.

De secundis nuptiis (Litt. Apostolicae «Crebrae allatae sunt» can. 131) proponitur ut nihil dicatur in novo Codice.

*De sacramentalibus, locis temporibusque sacris, cultu Sanctorum,  
voto et iureiurando*

Sectio haec, ut iam dictum est, in schema «De cultu divino et praesertim de sacramentis» inserenda proponitur, unde «canones praeliminares de cultu divino» qui in schematibus C.I.C.O. anni 1945 alibi inveniebantur (ut in C.I.C. Lib. III pars III cc. 1255-1264; cfr. *Nuntia* 7 pp. 96-97) in praesenti schemate — si retineantur — inter canones praeliminares positi sunt.

Attento principio subsidiaritatis, quod vocant, necnon varietate matrimonii liturgici Ecclesiarum Orientalium quae «nendum noceat unitati, sed eam potius declarat» (cfr. Conc. Vat. II, Decretum *Orientalium Ecclesiarum* n. 2), visum est perplurimas normas schematis a praecedente Commissione propositi (cfr. *Nuntia* 7 pp. 79-103) ad eas solas normas reducere in Codice communi sine quibus rectus in Ecclesia Christi ordo haud obtinetur.

De sacramentalibus unus tantummodo proponitur canon (can. 207) ex Concilii Vaticani II Constitutione *Sacrosanctum Concilium* n. 60 de promptus.

In sectione *de locis sacris* (cann. 208-220) nihil habetur in schemate de oratoriis privatis, sacellis et altaribus. Normae de his rebus, nisi ipsa con-

suetudo immemorabilis singularum Ecclesiarum sufficiat, iuri particulari, liturgico praesertim, ex ipso schematis silentio relinquuntur. Schema propositum nonnisi de ecclesiis, de coemeteriis atque sepultura ecclesiastica aliquas normas maioris momenti servat.

In capite de *diebus festis et poenitentiae* (mutato titulo «de temporibus sacris») inveniuntur plerumque Concilii Vaticani II praescripta in nn. 15, 19 et 21 decreti *Orientalium Ecclesiarum* contenta, addita norma abstinenti diebus dominicis et festis ab operibus et negotiis quae cultum Deo redendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis et corporis relaxionem impediunt.

i In capite *De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum* can. 226 agit tantummodo de cultu servorum Dei qui inter Sanctos auctoritate Ecclesiae relati sunt. Vox «beatos» in schemate omissa est. Plures enim consultores Commissionis censem eam in canone non esse necessariam cum in Oriente, illi etiam servi Dei qui canonice inter beatos adscripti sunt in cultu publico inter sanctos venerantur sub pluribus distinctionibus (in ritu byzantino adsunt saltem sex «gradus» festorum) in libris liturgicis accurate significatis. Etenim difficile videtur duplarem tantummodo «gradum» diversis liturgicis traditionibus convenienter aptare.

Canones de sacris processionibus, peregrinationibus atque de sacra suppellecili de quibus in *Nuntia* 7 pp. 99-102 omnes ad ius particulare, etiam consuetudinarium et liturgicum, deferri proponuntur.

*De iureiurando* unus tantummodo canon (can. 236) proponitur, quo, iuxta antiquissimas Orientis traditiones edicitur, illud praestari posse coram Ecclesia tantummodo in casibus iure requisitis, secus nullum parit iuridicum effectum.

*De voto* 5 canones proponuntur (cann. 230-235) in quibus unica distinctio servatur, scilicet inter votum publicum et privatum. Propter quaestiones controversas circa obligationem voti erga haeredes tantum obligatio emittentis votum lege urgetur.

Nullum proponitur votum privatum Sedi Apostolicae vel Patriarchae reservatum. Ut dispensandi facultas a votis privatis fiat confessariis in foro interno proponitur in can. 254 § 2.

## DE CULTU DIVINO ET PRAESERTIM DE SACRAMENTIS

### Can. 1

In sacramentis, quae Ecclesia dispensare tenet ut signa mysteriorum Christi, per Spiritum Sanctum et vivificantem homines singulari modo Dei Patris veri adoratores fiunt, Filio Dei in unico suo corpore ecclesiali conformantur et sanctificantur; quare christifideles omnes, praesertim vero ministri sacri, iisdem sacramentis religiose celebrandis ad canones qui sequuntur adamussim adhaereant.

### Can. 2

Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione exhibendos, dicitur publicus; si minus privatus.

### Can. 3

§ 1. Liturgiam ordinare atque libros liturgicos adprobare, in Ecclesiis patriarchalibus, Patriarchae et Synodi Episcoporum est ad normam iuris; in ceteris vero Ecclesiis hoc ius est unice Sedis Apostolicae atque, intra limites ab ipsa statutos, Episcoporum eorumque coetuum legitime constitutorum.

§ 2. Superiori cuiusque Ecclesiae non patriarchalis Auctoritati cum Consilio Hierarcharum ius pertinet moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis nec non, facta relatione ad Sedem Apostolicam, probandi versiones textuum in linguam vernaculam.

§ 3. Nemo omnino alias quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.

### Can. 4

§ 1. Catholici iusta de causa adesse possunt cultui liturgico christianorum plenam cum Ecclesia Catholica communionem non habentium vel

---

etiam in ipso partem habere, servatis his quae ab Hierarcha loci aut a Synodo vel Coetu competenti Episcoporum, habita ratione gradus communionis cum Ecclesia Catholica, statuta sunt.

§ 2. Si christianis non catholicis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Hierarcha loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel ecclesiae concedere potest, iuxta normas a Synodo vel Coetu competenti Episcoporum statutas.

#### Can. 5

§ 1. Ministri catholici, salvis praescriptis huius canonis §§ 2,3 et 4 necnon canonis 12 § 2, sacramenta licite solis christifidelibus catholicis administrant, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, et dummodo periculum vitetur erroris vel indifferentismi licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile sit accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum petere et recipere a ministris non catholicis in quorum Ecclesiis valida existunt sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus Ecclesiarum Orientalium quae plenam communionem cum Ecclesia Catholica non habent, si sponte id petant et rite sint dispositi, quod etiam valet quoad christifeles aliarum Ecclesiarum iudicio Sedis Apostolicae in pari, ad sacramenta quod attinet, conditione ac predictae Orientales versantium.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut alia de iudicio loci Hierarchae aut Synodi Episcoporum, urgeat gravis necessitas, ministri catholici licite sacramenta administrant ceteris quoque christianis, plenam communionem cum Ecclesia Catholica non habentibus, qui ad propriae Communitatis ministrum accedere non valeant atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta manifestent et rite sint dispositi.

§ 5. Pro casibus de quibus in §§ 2,3 et 4, Hierarchae loci aut Synodus Episcoporum generales normas ne ferant nisi post favorablem exitum consultationis cum auctoritate competenti saltem localis Ecclesiae vel Communitatis cuius interest.

#### Can. 6

Sacramenta baptismi, unctionis sancti myri et ordinis iterari nequeunt; si vero prudens dubium existat num revera aut num valide collata fuerint, dubio quidem post seriam investigationem permanente, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant.

### Can. 7

Administratio sacramentorum, utpote actio Ecclesiae, ubi fieri possit, cum actuosa communitatis participatione celebretur.

### Can. 8

§ 1. In sacramentis administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caerimoniae quae in libris liturgicis a competenti auctoritate probatis praecipiuntur.

§ 2. Minister sacramenta conferat secundum proprium ritum, nisi expresse aliud in iure statuatur.

### Can. 9

Christifidelibus ius est sacramenta petendi et recipiendi ab Ecclesiae ministris: ministri vero eadem denegare non possunt iis qui opportune petant, rite sint dispositi nec iure ab iis recipiendis prohibeantur.

## Titulus I

### DE BAPTISMO

### Can. 10

§ 1. In baptismo homines, fide in Christo, ex aqua et Spiritu Sancto, ad vitam novam regenerantur, Christum induunt et Ecclesiae, quae corpus eius est, incorporantur.

§ 2. Baptismus valide confertur nonnisi aqua vera cum praescripta verborum forma per immersionem vel ablutionem.

§ 3. Tantummodo baptismate in re suscepto homo fit capax ceterorum sacramentorum.

### Can. 11

In mortis periculo conferri licet baptismum ea tantum ponendo quae sunt ad validitatem necessaria.

### Can. 12

§ 1. Baptismus confertur ordinarie a sacerdote; sed eius collatio competit parocho aliove sacerdoti de eiusdem parochi vel Hierarchae loci licentia, quae iusta de causa legitime praesumitur.

§ 2. In casu necessitatis baptismum conferre potest diaconus, alius clericus, monachus vel religiosus et, his absentibus, etiam laicus; parentes autem, quando aliis, qui baptizandi modum noverit, praesto non sit.

Can. 13

§ 1. In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia baptismum conferre; haec vero licentia a parocho diversi ritus denegari nequit sacerdoti qui praesto sit quique eiusdem ritus sit ac baptizandus.

§ 2. In locis ubi non pauci degunt fideles diversi ritus proprium parochum non habentes, loci Hierarcha, cuiusvis ritus, presbyterum eiusdem ritus ac fideles designet, inquantum fieri potest, qui baptismum conferat.

Can. 14

Baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 15

Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit, baptizentur.

Can. 16

§ 1. Ut infans licite baptizetur oportet:

- 1) spes habeatur fundata eum in fide Ecclesiae Catholicae educatum iri;
- 2) parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenet, consentiant.

§ 2. Infantes expositi et inventi, nisi de eorundem baptismo certe constet, baptizentur.

§ 3. Rationis usu ab infantia destituti, baptizandi sunt ut infantes.

§ 4. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discriminé ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo ne sint expresse contrarii ambo parentes aut qui legitime eorundem locum tenent.

Can. 17

§ 1. Ut adultus baptizari possit, requiritur ut voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.

§ 2. Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si quam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentiōnem suam baptismum recipiendi manifestaverit.

### Can. 18

§ 1. Proles ritu patris baptizari debet; si vero sola mater sit catholica, ritu matris.

§ 2. Ad magis consulendum nuptiarum firmatati, sanctitati ac domesticae paci, proles a matre catholica et patre acatholicō ritus orientalis nata baptizari potest, rogante matre, a sacerdote catholicō ritus patris; proles ita baptizata adscribitur Ecclesiae ad quam pertinet baptizans.

### Can. 19

§ 1. Ex vetustissimo Ecclesiarum more baptizandus suum habeat patrimum.

§ 2. Patrini, ex suscepto munere, est curare, deficientibus praesertim parentibus, ut baptizatus conscientie vitam christianam baptismō congruam ducat obligationesque eidem inherentes fideliter adimpleat.

### Can. 20

§ 1. Ut quis patrini munere valide fungatur oportet: sit baptizatus; usum rationis assecutus; intentionem habeat id munus gerendi; sit ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro designatus; non sit pater aut mater aut coniux baptizandi, nec innodatus excommunicatione etiam minore, suspensione, depositione vel privatione iuris patrini munus agendi.

§ 2. Iusta de causa licet admittere fidelem orientalem acatholicum ad munus patrini, simul cum patrino catholicō, in baptismō catholici infantis vel adulti, dummodo de educatione catholica baptizati satis provisum sit et de idoneitate patrini constet.

§ 3. Praescriptiones liceitatem ad munus patrini spectantes definiantur a iure particulari.

### Can. 21

§ 1. Parentes obligatione tenentur ut infantes quam primum iuxta legitimas consuetudines locorum et temporum baptizentur.

§ 2. Parochi de hac gravi obligatione frequenter fideles commoneant.

### Can. 22

§ 1. Baptismus, extra casum necessitatis, in ecclesia paroeciali conferendus est, salvis legitimis consuetudinibus.

§ 2. In domibus autem privatis baptismus administrari potest iuxta praescripta iuris particularis vel loci Hierarchae licentia.

### Can. 23

Qui baptismum administrat ad norman can.12 curet ut, nisi adsit patrinus, habeatur unus saltem testis quo collatio baptismi probari possit.

### Can. 24

§ 1. Parochus debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre, insimul indicatis die et loco nativitatis.

§ 2. Si de illegitimo filio agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta, in ceteris casibus, inscribatur baptizatus nulla indicatione facta de patris aut parentum nomine.

### Can. 25

§ 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicunque sit, de collato baptismi certiorem facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiorem facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus in baptizatorum libro adnotet, mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiorem factum esse infanten in alia paroecia esse baptizatum.

### Can. 26

Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

## Titulus II

### DE CHRISMATIONE SANCTI MYRI

### Can. 27

Oportet eos qui baptizati sunt sancto myro chrismari ut, dono Spiritus Sancti signati, aptiores testes atque coaedificatores Regni Christi effiantur.

Can. 28

Sanctum myrum, quod oleo olivarum aut aliis plantis et aromatibus constat a solo Episcopo conficitur salvo iure particulari iuxta quod hoc Patriarchae reservatur.

Can. 29

Ex vetustissima Ecclesiarum Orientalium traditione chrismatio sancti myri, sive coniunctim cum baptismo sive separatim, confertur a presbytero.

Can. 30

§ 1. Chrismatio sancti myri conferri debet coniunctim cum baptismo, salvo casu verae necessitatis in quo tamen curandum est ut quamprimum conferatur.

2. Si collatio huius sacramenti non fit simul cum baptismo, minister collationis tenetur de ea admonere parochum loci ubi baptismus administratus est, ut in libro baptizatorum adnotetur.

Can. 31

§ 1. Presbyteri omnes orientales hoc sacramentum, sive una cum baptismo sive separatim, valide conferre possunt omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, servata quoad liceitatem § 2; presbyteri quoque latini ritus, secundum facultates quibus gaudent circa ministracionem huius sacramenti, valent illud etiam fidelibus Ecclesiarum orientalium ministrare sine praeiudicio ritui.

§ 2. Etsi presbyter orientalis ritum propriae Ecclesiae sequi debet quando sacramenta fidelibus aliarum Ecclesiarum administrat, non tamen ipsi licet in baptismo fidelium occidentalis Ecclesiae chrismationem sancti myri una cum baptismo conferre, ne quid in praeiudicium disciplinae cui baptizatus subicitur agatur.

Can. 32

Initiatio sacramentalis in mysterium salutis receptione Sanctissimae Eucharistiae perficitur; ideoque Ea post baptismum et chrismationem sancti myri administretur quamprimum iuxta disciplinam unicuique Ecclesiae propriam.

Titulus III  
DE DIVINA EUCHARISTIA

Can. 33

In Eucharistica celebratione, ad vocem ministri in sacro ordine debito constituti, renovatur, Spiritus Sancti operante virtute, id quod in novissima Cena gessit Ipse Christus Dominus, qui, scilicet, dedit discipulis panem ad manducandum, Corpus Eius factum et in Cruce pro nobis oblatum, atque vinum ad bibendum Sanguinem Eius pro nobis effusum; per hoc incruentum sacrificium, in memoriam Eius celebratum, mors et resurrectio Eius annuntiantur donec veniat atque Deo Patri gratiae aguntur; per christifidelium cum ministro litante unionem, in Eucharistica oblatione et communione, unitas populi Dei significatur et mirabiliter efficitur.

Can. 34

§ 1. Potestatem celebrandi Divinam Liturgiam habent soli Episcopi et presbyteri.

§ 2. Diaconi ad servitium Episcopis et presbyteris praestandum consecrati, cum ipsis proprio ministerio, ad normam legum liturgicarum, in celebratione Divinae Liturgiae arctius partem habent.

§ 3. Ceteri christifideles, virtute baptismi atque sancti myri chrismationis in oblationem Divinae Liturgiae concurrentes, in primis ministeria, si quae receperint, exercent, necnon modo in libris liturgicis vel iure particula-ri determinato, in Sacrificio Christi actuose participant atque ex eodem Sa-crificio Corpus et Sanguinem Domini sumunt.

Can. 35

Divinam Liturgiam presbyteri, in quantum fieri potest, una cum Episcopo praeside aut cum alio presbytero, qui primi celebrantis personam sustinet, celebrent: ita enim magis unitas sacerdotii ac sacrificii manifestatur, salvo iure uniuscuiusque sacerdotis Divinam Liturgiam singillatim litandi, non autem eodem tempore quo in eadem ecclesia concelebratio habetur.

Can. 36

§ 1. Concelebratio inter Episcopos et presbyteros diversorum rituum, iusta de causa, praesertim caritatem atque unionem inter Ecclesias fovendi gratia, de licentia Hierarchae loci fieri potest, dummodo omnes concelebrantes eandem saltem anaphoram, ritus primi celebrantis nempe, sequantur.

§ 2. In hac concelebratione omnibus licet vestibus liturgicis proprii ritus uti.

§ 3. Licentia de qua in § 1, si casus fert, legitime praesumitur.

Can. 37

§ 1. Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias sui Hierarchae exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constet.

§ 2. Integrum est Hierarchae loci hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus, etiam quomodocumque exemptis, servandas.

Can. 38

Sacerdos Divinam Liturgiam in quantum fieri potest celebret cum christifideliū partecipazione.

Can. 39

Divina Liturgia omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui lege liturgica Ecclesiae ritus, ad quam sacerdos pertinet, excluduntur.

Can. 40

§ 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio in altari alius ritus Divinam Liturgiam celebrare.

§ 2. Iusta de causa, licet sacerdoti Divinam Liturgiam celebrare super altare alicuius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis.

§ 3. Ut sacerdos Divinam Liturgiam celebrare possit in templis aliarum Ecclesiarum communitatuumque Ecclesialium cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentium, licentia eget loci Hierarchae.

Can. 41

In Divina Liturgia sacra dona quae offeruntur confici debent ex pane et vino, cui modica aqua miscenda est.

§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus.

§ 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis.

Can. 42

§ 1. Quod attinet panis Eucharistici formam, preces a sacerdotibus ante celebrationem Divinae Liturgiae persolvendas, iejunium Eucharisticum

servandum, vestes liturgicas tempus et locum celebrationis, et huiusmodi, a iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae definienda sunt et ab omnibus sacerdotibus et diaconis diligenter servanda.

§ 2. Iusta de causa, remota tamen fidelium admiratione, aliorum rituum vestibus et panis forma uti licet.

#### Can. 43

Fideles obligatione tenentur diebus dominicis et festis interesse Divinae Liturgiae aut, iuxta praescripta vel consuetudinem proprii ritus, celebrationi divinarum Laudum; quo facilius fideles hanc obligationem adimplere valent, statuitur tempus utile, pro hoc paecepto adimplendo, decurrere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi; enixe commendatur christifidelibus, ut his diebus, imo frequentius ac vel etiam quotidie, Sacram Eucharistiam suscipiant.

#### Can. 44

Curent Hierarchae locorum ac parochi ut omni diligentia christifideles instruantur de obligatione ad Divinam Eucharistiam participandi in periculo mortis necnon temporibus a laudabilissima consuetudine vel iure particulari cuiusque Ecclesiae statutis, tempus Paschale praesertim quod attinet in quo Christus Dominus Eucharistica Mysteria tradidit, immolatus est pro nobis et morte mortem vincendo resurrexit.

#### Can. 45

§ 1. Divinam Eucharistiam distribuit sacerdos vel, iusta de causa, etiam diaconus.

§ 2. Integrum est Superiori Auctoritati cuiusque Ecclesiae sui iuris, pro casibus extremae necessitatis, opportunis normis, etiam ceteris christifidelibus facultatem concedere Divinam Eucharistiam distribuendi.

#### Can. 46

Puerorum, usu rationis nondum potitorum, in Divina Eucharistia participatio, post baptismum ac chrismationem sancti myri, opportunis adhibitis cautelis, praescriptis regitur in probatis libris liturgicis cuiusque Ecclesiae contentis.

#### Can. 48

§ 1. Divina Eucharistia ad normam legum liturgicarum distribuenda est in celebratione Divinae Liturgiae, nisi gravis causa aliud suadeat.

§ 2. Quod attinet praeparationem participationis Divinae Eucharistiae per ieunium, preces, aliaque opera in proprio ritu forte recepta, christifideles fideliter normas Ecclesiae cui adscripti sunt servant non solum in regionibus orientalibus sed, in quantum fieri potest, ubicumque terrarum.

Can. 49

§ 1. In ecclesiis ubi publici cultus caerimoniae et saltem aliquoties in mense Divina Liturgia celebratur Sancta custodientur, praesertim pro infirmis, Eucharistica Mysteria, paescriptis liturgicis cuiusque Ecclesiae sui iuris fideliter servatis, atque summa reverentia a clero et Dei populo adorentur.

§ 2. Haec asservatio Divinae Eucharistiae est sub vigilantia ac moderamine Hierarchae ecclesiae Rectoris proprii.

Can. 50

§ 1. Sacerdotibus licet oblata recipere, quae christifideles secundum receptum et probatum Ecclesiarum morem pro celebratione Divinae Liturgiae, ad proprias intentiones, ipsis offerunt.

§ 2. Licet etiam, si ita ferat probata consuetudo, oblationes recipere pro Liturgia Praesanctificatorum et pro commemorationibus in Divina Liturgia.

Can. 51

Firmo can.4 *De bonis acquirendis* enixe commendatur ut Hierarchae locorum proxim introducant, inquantum fieri potest, iuxta quam unice eae oblationes occasione Divinae Liturgiae acceptentur quae ex fidelium spontanea voluntate fiunt; singuli vero sacerdotes libenter etiam sine ulla oblatione Divinam Liturgiam ad intentionem christifidelium, praecipue egentium, celebrent.

Can. 52

Sacerdotes, si oblationes ad Divinam Liturgiam celebrandam ab christifidelibus alterius ritus accipiunt, gravi obligatione tenentur de his oblationibus servandi normas Ecclesiae ad quam pertinent illi qui oblationes faciunt, nisi aliud constet ex parte offerentis.

Titulus IV  
DE SACRAMENTO POENITENTIAE

Can. 53

In sacramento poenitentiae exercetur a sacerdote potestas remittendi retinendive peccata quae christifideles post baptismum commiserint ut ipsi, dignos fructus poenitentiae facientes, ad sacramentalem Eucharisticam communionem disponentur qua manifeste instauretur atque roboretur eorum plena vividaque cum Deo amoris coniunctio in compagine Corporis Christi quod est Ecclesia.

Can. 54

§ 1. Baptizatus peccati gravis sibi conscius reconciliatur cum Deo et plene Ecclesiae reintegratur per individualem et integrum confessionem atque peccatorum a sacerdote remissionem, nisi impossibilitas ab huiusmodi confessione excuset.

§ 2. In casu autem periculi mortis aut aliis gravis necessitatis, si confessio individualis non est possibilis, absolutio communis impetrari potest.

§ 3. Auctoritati legislativae cuiusque Ecclesiae sui iuris reservatur oportunas normas de ceteris casibus absolutionis generalis statuere, collatis consiliis cum Hierarchis diversorum rituum in eodem territorio potestatem habentibus.

§ 4. Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui valeat, requiritur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

Can. 55

§ 1. Sacramentum poenitentiae administratur, virtute sacerdotalis gratiae, ab Episcopo vel presbytero.

§ 2. Presbyteri tamen ut valide agant debent praeterea esse praediti speciali facultate hoc sacramentum administrandi, quae facultas donatur sive ipso iure sive speciali commissione, ab auctoritate competenti facta.

§ 3. Presbyteri qui facultate de qua in § 2 potiuntur in suo territorio vi officii sibi collati vel ii qui ea donantur a Hierarcha loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, sacramentum poenitentiae administrare possunt ubique erga omnes; eadem vero facultate licite utuntur servatis normis a Hierarcha loci editis necnon ex licentia Rectoris ecclesiae, vel Superioris de quo in canone sequenti § 2.

### Can. 56

§ 1. Vi officii pro sua quisque ditione facultate sacramentum poenitentiae administrandi gaudet loci Hierarcha et parochus aliique qui loco parochi sunt.

§ 2. Vi officii eadem facultate gaudent, Superiores monachorum ceterorumque religiosorum erga suos confratres ad normam statutorum, necnon illos qui diu noctuque in domibus, in quibus praedicti Superiores potestatem regiminis executivam exercent, degent.

### Can. 57

§ 1. Solus loci Hierarcha competens est qui facultatem sacramentum poenitentiae quibuslibet christifidelibus administrandi commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque.

§ 2. Superiores de quibus in can. 56 § 2 facultatem qua gaudent aliis presbyteris, etiam eparchialibus, conferre possunt ad normam statutorum.

### Can. 58

1. Facultas sacramentum poenitentiae administrandi ne revocetur nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata hac facultate concessa ab Hierarcha domicilii vel quasi-domicilii de quo in can. 55 § 3, presbyter eandem amittit ubique terrarum; revocata autem ab alia auctoritate legitima eandem amittit in ditione revocantis tantum.

### Can. 59

Quilibet sacerdos, licet sacramentum poenitentiae administrandi facultate careat, quoslibet poenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos adprobatus.

### Can. 60

Absolutio complicis in quocumque peccato gravi invalida est, praeterquam in mortis periculo.

### Can. 61

Qui confitetur se falso confessarium innocentem denuntiasse de crimen de quo confessario nulla est defensio propter sigillum sacramentale ad quod tenetur, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit et paratus sit ad damna, si quae habeantur, reparanda.

## Can. 62

Pro qualitate et numero peccatorum, habita ratione poenitentis condicionis necnon eiusdem ad conversionem dispositionis, confessarius convenientem morbo afferat medicinam, opportuna opera poenitentiae imponens iuxta proxim propriae Ecclesiae.

## Can. 63

§ 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem.

§ 2. Non prohibetur quis, si velit, quominus per interpretem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis.

§ 3. Alicuius Instituti educationis praepositi sacramentum poenitentiae suis alumnis ordinarie ne administrent.

## Can. 65

Omnis cui animarum cura vi muneric est demandata, gravi tenetur obligatione providendi ut sacramentum poenitentiae administretur fidelibus sibi commissis, qui rationabiliter confiteri petant, utque iisdem opportunitas praebeatur ad confessionem individualem, diebus ac horis in eorum comodum statutis, accedendi.

## Can. 66

§ 1. Locus proprius sacramentum poenitentiae administrandi est ecclesia, firmis ceteris praescriptis iuris particularis necnon legitimis consuetudinibus propriae Ecclesiae.

§ 2. Ob infirmitatem vel ob veram spiritualem utilitatem hoc sacramentum administrari potest etiam extra locum proprium.

## Can. 67

Qui gravis peccati sibi conscientia est, quamprimum id fieri potest, confiteatur, ceteris vero christifidelibus enixe commendatur ut saltem temporibus ieunii et poenitentiae in propria Ecclesia servandis ad hoc sacramentum accedant.

**Titulus V**  
**DE UNCTIONE INFIRMORUM**

Can. 68

Sacramentali infirmorum unctione, a presbyteris oratione peracta, christifideles, morbo affecti cordeque contriti, gratiam percipiunt qua, a peccatis soluti speque aeterni praemii roborati, ad emendationem vitae disponuntur et ad infirmitatem superandam patienter ve sufferendam adiuvantur.

Can. 69

§ 1. Unctionem infirmorum valide administrant omnes et soli sacerdotes.

§ 2. Officium et ius unctionem infirmorum ministrandi habent parochus, vicarii paroeciales, atque omnes alii presbyteri relate ad illos quorum cura ipsis ex officio commissa sit; ex licentia saltem praesumpta praedictorum, alius quilibet presbyter hoc sacramentum licite administrare potest, in casu vero necessitatis, etiam debet.

Can. 70

Ubi mos viget ut, ad normam librorum liturgicorum, sacramentum unctionis infirmorum a pluribus sacerdotibus simul administretur, parochus aliusve presbyter de quo in canone praecedenti § 2 curet, ut servetur, nisi rationabilis causa excuset.

Can. 71

Christifideles aegrotantes qui sensus vel usum rationis amiserint praesumuntur se velle ut hoc sacramentum ipsis administretur in periculo mortis vel etiam, ad iudicium sacerdotis, alio tempore.

Can. 72

Quamvis unctionis infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illam recipient; current praesertim animarum pastores et infirmorum propinquai ut tempore opportuno hoc sacramento infirmi subleventur

Can. 73

Iuxta praescripta librorum liturgicorum oleum in sacramento unctionis infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum a sacerdote qui sacramentum ministrat, nisi aliter ferat ius particulare.

Can. 74

unctiones verbis, ordine et modo praescriptis in probatis liturgicis libris, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unica unctione cum propria formula.

**Titulus VI**

**DE SACRAMENTO SACERDOTII**

Can. 75

Per sacramentalem ordinationem ab Episcopo Sancti Spiritus operante virtute peractam, ministri sacri constituuntur qui, hoc ipso, munere et potestate, a Christo Domino apostolis suis concreditis, adaugentur et in variis gradibus fruuntur Evangelium annuntiandi, populum Dei pascendi et sacrificandi.

**Caput I - *De Sacrae Ordinationis Ministro***

Can. 76

Sacrae ordinationis minister est solus Episcopus.

Can. 77

Ordinatio episcopalnis reservatur, ad normam iuris, Romano Pontifici, Patriarchae vel Metropolitae, ita ut nulli Episcopo liceat quemquam ordinare Episcopum, nisi prius constet de competenti mandato.

Can. 78

§ 1. Episcopus ordinetur ab Episcopis tribus, excepto casu extremae necessitatis.

§ 2. Episcopus secundus et tertius, de quibus in § 1, deficientibus Episcopis eiusdem ritus ac Episcopus ordinans, possunt esse ritus diversi.

Can. 79

§ 1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis.

2. Candidatum suum subditum ritus a proprio diversi Episcopus ordinare nequit nisi de licentia Patriarchae si ad ritum Ecclesiae patriarchalis candidatus pertineat, secus vero Sedis Apostolicae.

### Can. 80

Episcopus proprius quod attinet ad ordinationem eorum qui nulli eparchiae qua clerici adscripti sunt, est Episcopus eparchiae in qua candidatus habet domicilium vel in cuius territorio promovendus scripto declareret se animum habere perpetuo manendi.

### Can. 81

§ 1. Litteras dimissorias saecularibus dare possunt, quamdiu potestatem regiminis in territorio retinent:

- 1) Episcopus proprius, non vero Syncellus, nisi ex speciali Episcopi mandato;
  - 2) firmo § 2, Administrator Ecclesiae patriarchalis atque, de consensu consultorum eparchialium, Administrator eparchiae vacantis;
  - 3) Exarchi omnes, licet Episcopi non sint.
- § 2. Administrator Ecclesiae patriarchalis litteras dimissorias ne concedat iis qui a Patriarca reiecti fuerint, nisi de consensu Synodi permanentis; nec Administrator eparchiae vacantis iis qui ab Episcopo reiecti fuerint.

### Can. 82

Litterae dimissoriae ne concedantur nisi habitis antea omnibus testimoniiis, quae iure exiguntur, ad normam can. 105.

### Can. 83

Litterae dimissoriae mitti possunt ab Episcopo proprio ad quemlibet eiusdem ritus Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, non autem ad Episcopum qui sit diversi ritus atque ordinandus, nisi de licentia eorum de quibus in can. 79 § 2.

### Can. 84

Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguntur resoluto iure concedentis.

### Can. 85

Ad litteras dimissorias Monachorum ceterorumque religiosorum quod spectat servantur praescripta canonum NN<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Canones 62, 119, 139 § 3 schematis "De Monachis ceterisque Religiosis...".

## *Caput II - De Sacrae Ordinationis Subiecto*

### Can. 86

- § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.  
§ 2. Lcite ordinatur qui, ad normam iuris, debitibus qualitatibus, iudicio proprii Hierarchae, praeditus est, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento.

### Can. 87

Proprius Hierarcha nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis sibi subditis ascensum ad presbyteratum interdicere, salvo iure recursus ad ipsius Hierarchae immediatum Superiorum.

### Can. 88

Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet causam, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab iisdem recipiendis avertere.

### Can. 89

Candidati ad sacerdotium accurate efformentur ad normam canonum NN *de Seminariis*.

### Can. 90

§ 1. Ordinatus qui superiorum ordinem recipere recuset, nec potest ab Hierarcha ad eum recipiendum cogi, nec prohiberi a recepti ordinis exercitio, nisi impedimento canonico detineatur, aliave gravis, iudicio Hierarchae, obsit causa.

§ 2. Diaconatus conferri potest candidatis ad presbyteratum non destinatis, dummodo iudicio Hierarchae congrua ac sufficienti cognitione doctrinae christiana et scientiae pro ordine suscipiendo ac munere rite exercendo praediti sint.

## **ART. I - De requisitis in candidatis ad sacram ordinationem**

### Can. 91

Ut quis licite ordinari possit, requiruntur:

- 1) receptum chrismatis sacramentum;
- 2) mores atque qualitates physicae et psychicae ordini recipiendo congruentes;

- 3) aetas canonica;
- 4) debita scientia;
- 5) ordinum inferiorum susceptio;
- 6) interstitiorum a iure particulari requisitorum observatio;
- 7) titulus canonicus.

#### Can. 92

§ 1. Fermo iure particulari proiectiorem aetatem exigente, aetas canonica ad diaconatum est vigesimus tertius annus expletus, ad presbyteratum vigesimus quartus expletus.

§ 2. Dispensatio ultra annum super aetate requisita ad normam § 1, exceptis iis quae ius particulare statuit, Sedi Apostolicae reservatur.

#### Can. 93

Fermo can. 32 de *Seminariis*<sup>1</sup>, candidatus ad diaconatum promoveri potest tantum post expletum quintum curriculi studiorum philosophico-theologicorum annum, nisi Synodus Episcoporum aliter statuerit.

#### Can. 94

§ 1. Nemo diaconus ordinetur nisi prius ordines minores iuxta praescripta iuris particularis receperit.

§ 2. Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, proprio Hierarchae declarationem tradat propria manu subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem et obligationes eidem ordini adnexas suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur.

§ 3. Petatio de qua in § 2 indiget scripta acceptatione Hierarchae proprii, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

#### Can. 95

§ 1. Omnes diaconi eparchiales ordinentur titulo servitii eparchiae cui sese stabiliter devovere intendunt.

§ 2. Huius tituli ratione, Episcopus eparchialis curare debet ut debite consulatur diaconorum et presbyterorum honestae sustentationi utque provideatur eorundem congruenti cautioni et adsistentiae sanitariae, ad normam iuris.

---

<sup>1</sup> Hic canon in schemate 1978: Institutio diaconis et aliis ministris ad presbyteratum non destinatis propria ex normis supra datis adaptetur et pressius statuatur a *Ratione Institutionis Clericorum Particulari*.

§ 3. Diaconi Monasteriorum ceterorumque religiosorum ordinentur titulo Monasterii, Ordinis vel Congregationis cui adscribuntur, quibus est eorumdem congruae sustentationi providere; eadem valet regula de diaconis qui alicui Societati sunt adscripti, nisi eparchiae incardinentur.

#### ART. II - De irregularitatibus aliisque impedimentis

##### Can. 96

§ 1. A recipiendis ordinibus arcentur qui quovis perpetuo impedimento, quod venit nomine irregularitatis, aut aliquo simplici impedimento afficiuntur: nullum autem impedimentum perpetuum, sive ex defectu sive ex delicto, nullumque simplex impedimentum contrahitur, nisi quae exprimuntur in canonibus qui sequuntur.

§ 2. Consuetudo novam irregularitatem inducens aut statutae irregularitati contraria reprobatur.

##### Can. 97

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex defectu:

- 1) qui ob corporis debilitatem aut deformitatem convenienter altaris ministerio defungi non valet;
- 2) qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborat psychici defectus, qua inhabilis reddatur ad ministerium rite implendum.

##### Can. 98

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum fuerit perpetratum:

- 1) qui a plena communione Ecclesiae catholicae scienter et libere defecerit;
- 2) qui matrimonium attentare vel inire etiamsi civile tantum ausus fuerit, vel ipsem vel vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perfectae, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta;
- 3) qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetus humani abortum procuraverit, effectu secuto, omnesque positive cooperantes;
- 4) qui seipsum vel alium mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;
- 5) qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine sacro reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica prohibitus.

### Can. 99

Sunt a recipiendis ordinibus simpliciter impediti:

- 1) qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam cuius rationem reddere debet, donec deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liber factus sit;
- 2) neophytus, donec, iudicio Hierarchae, sufficienter probatus fuerit.

### Can 100

§ 1. Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares:

- 1) qui irregularitate ad ordines recipiendos dum afficiebatur, illegitime ordines receperit;
- 2) qui gravi corporis delibilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;
- 3) qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quo in can. 98 n.1, si delictum est publicum;
- 4) qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quibus in can. 98 nn. 2, 3, 4, 5;

§ 2. Ab ordinibus exercendis impediuntur:

- 1) qui impedimento ad ordines recipiendos detentus, illegitime ordines receperit;
- 2) qui amentia aliove defectu psychico de quo in can. 97 n. 2, afficitur usquedum Hierarcha eiusdem ordinis exercitium permiserit.

### Can. 101

Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eiusdem non eximit.

### Can. 102

Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetita eadem causa, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario aut ex procurato fetus humani abortu, effectu secuto.

### Can. 103

§ 1. Hierarcha potest suos subditos dispensare ab omnibus irregularitatibus et impedimentis, exceptis irregularitatibus:

- 1) quae innituntur facto ad forum iudiciale deducto;
- 2) ex delicto publico de quibus in can. 98 n. 1 quoties agatur de ordine recipiendo;
- 3) ex delicto publico de quibus in can. 98 n. 2
- 4) ex delicto sive publico sive occulto de quibus in can. 98 n. 3.

§ 2. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus in quibus Hierarcha adiri nequeat et periculum imminet gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitentes ordines iam suscep-tos exercere licite valeant firmo onere recurrendi quamprimum ad Hierar-cham.

§ 3. Dispensatio ab irregularitatibus de quibus in § 1 nn. 1, 2. 3 reser-vatur in territorio Ecclesiae patriarchalis Patriarchae cum consensu Synodi Episcoporum, extra hoc territorium Sedi Apostolicae.

#### Can. 104

§ 1. In precibus ad obtinendam irregularitatum ac impedimentorum di-spensationem, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt: atta-men, dispensatio generalis valet etiam pro reticisis bona fide, exceptis ir-regularitatibus de quibus in can. 98 n. 3, aliave ad forum iudiciale deducta, non autem pro reticisis mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex voluntario homicidio aut ex procura-to foetus humani abortu, etiam numerus delictorum ad validitatem dispen-sationis exprimendus est.

§ 3. Dispensatio generalis ab irregularitatibus et impedimentis ad ordi-nes recipiendos valet pro diaconatu et presbyteratu.

#### Caput III - *De iis quae sacrae Ordinationi praeire debent*

#### Can. 105

Antequam Hierarcha candidatum ad sacram ordinationem promovet obtineat:

- 1) testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima ordinatione aga-tur, receptorum sacramentorum baptismatis et sancti myri unctionis;
- 2) si ordinandus sit uxoratus testimonia matrimonii et consensus uxoris;
- 3) testimonium de peractis studiis ad normam can. 93 requisitis;
- 4) testimonium Rectoris Seminarii vel Superioris monasterii vel domus religiosae, aut presbyteri cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, de bonis eiusdem candidati moribus;
- 5) testimoniales litteras Superioris Monasterii sui iuris vel Superioris Maioris religiosorum, si de monachis ceterisque religiosis agatur;
- 6) si id expedire iudicet, de candidati qualitatibus deque eius libertate ab omni impedimento canonico testimoniales litteras aliorum Hierarcharum locorum vel Superiorum Monasteriorum vel domorum religiosarum ubi candidatus per aliquot tempus commoratus sit.

### Can. 106

Curet Episcopus aut Superior Monasterii vel Religiosorum ut candidatis, antequam ad ordinem aliquem promoveantur, instructiones dentur quibus rite edoceantur in iis quae ad ordinem pertinent.

### Can. 107

Episcopus alienum subditum saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum ad ordinem recipiendum idoneum esse, potest huic attestationi acquiescere, sed non teneatur; et, si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat.

### Can. 108

§ 1. Nomina promovendorum ad sacros ordines, publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia, ad normam iuris particularis.

§ 2. Omnes fideles obligatione tenentur irregularitates et impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Hierarchae vel parocho ante sacram ordinationem revelandi.

§ 3. Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii presbytero, si id expedire videatur, Hierarcha committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat, et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad curiam transmittat.

§ 4. Hierarcha alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum iudicaverit, facere ne omittat.

### Can. 109

Omnes qui ad aliquem ordinem promovendi sunt, recessibus spiritualibus videntur, loco et modo a Hierarcha determinatis.

## Caput IV - *De tempore, loco, adnotatione et testimonio sacrae Ordinationis*

### Can 110

Ordinationes cum Christifidelium quam maxima frequentia celebrentur in ecclesia, die dominico vel festo, nisi iustae causae, iudicio loci Hierarchae, aliud suadeant.

### Can. 111

Quoties ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus supplendus, id fieri potest quovis die ac secreto.

### Can. 112

**Episcopus extra proprium territorium sine Hierarchae loci licentia nequit ordines conferre, salvo iure Patriarcharum.**

### Can. 113

**§ 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.**

**§ 2. Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium, qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Hierarchae exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.**

### Can. 114

**Praeterea loci Hierarcha si agatur de ordinatis e clero eparchiali aut Superior competens si de monachis ceterisque religiosis, cum suis litteris dimissoriis notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque diaconi transmittat ad parochum apud quem ordinati baptismus ad normam canonum erat adnotandus, qui id signet in suo baptizatorum libro ad normam iuris.**

## Titulus VII

### DE MATRIMONIO

#### Can. 115 (CA 1-2)<sup>1</sup>

**§ 1. Matrimonium uti intima communitas vitae et amoris inter virum et mulierem a Creatore condita suisque legibus instructa foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur atque indeole sua naturali ad bonum coniugum ac ad prolis procreationem et educationem ordinatur.**

**§ 2. Ex Christi institutione matrimonium validum inter baptizatos est eo ipso sacramentum, quo coniuges roborantur et veluti consecrantur ut propriam communionem amoris ita vivant ut sint fidelis imago indefectibilis unionis Christi cum Ecclesia.**

**§ 3. Essentialis matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas,**

<sup>1</sup> Numeri intra parentheses referuntur ad canones Litterarum Apostolicarum «Crebrae allatae sunt» (CA) anni 1947.

quae in matrimonio inter baptizatos peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Can. 116 (CA 3)

Matrimonium gaudet favore iuris: quare in dubio standum est pro validitate matrimonii. donec contrarium probetur.

Can. 117 (CA 5)

Matrimonium baptizatorum, etsi una tantum pars sit baptizata, regitur iure non solum divino sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus et salvis canonibus 118 et 119 qui sequuntur.

Can 118 (novus)

In matrimonio ineundo inter partem baptizatam in Ecclesia catholica vel in eandem receptam et partem baptizatam quae ad plenam communio nem cum Ecclesia catholica non pervenerit aut partem non baptizatam, quod attinet ad impedimenta quae non sunt iuris divini positivi vel naturalis, lex propria utriusque partis servetur, a qua tamen auctoritas catholica competens dispensare potest.

Can. 119 (novus)

Ubi Ecclesia iudicare debet de validitate matrimonii initi inter personas quae legibus matrimonialibus mere ecclesiasticis non tenentur, normae sequentes servandae sunt:

- 1) quod attinet ad impedimenta quae non sunt iuris divini positivi vel naturalis attendendae sunt leges quibus ipsae tenentur;
- 2) quod attinet ad formam celebrationis matrimonii Ecclesia agnoscit quamlibet formam lege praescriptam vel agnitam cui partes tempore celebrationis matrimonii subiectae fuerint, dummodo consensus expressus sit forma publica et, ubi una saltem pars sit baptizata non catholica orientalis, matrimonium ritu sacro ineatur.

Can. 120 (CA 6-7)

§ 1. Sponsalia, quae laudabiliter matrimonio praemittuntur ex antiquissima orientis traditione, reguntur legibus ab Auctoritate legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris latis.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

*Caput I - De Iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent*

Can. 121 (CA 8, 23)

§ 1. Pastores animarum, Patriarchae ac Synodi Episcoporum imprimis vi officii tenentur curandi ut christifideles ad statum matrimonialem praeparentur:

1) praedicatione et catechesi minoribus, iuvenibus et adultis aptata, quibus christifideles de significatione matrimonii christiani deque obligacionibus coniugum inter se et erga prolem instituantur;

2) instructione sponsorum personali ad matrimonium qua sponsi ad novi status officia disponantur.

§ 2. Enixe commendatur sponsis ut in celebratione matrimonii Sanctissimam Eucharistiam recipient qua amore foecundo inter Christum et Ecclesiam participant.

Can. 122 (CA 10)

In iure particulari singularum Ecclesiarum, collatis consiliis Hierarchorum in eodem territorio potestatem habentium, statuantur normae de examine sponsorum et de aliis mediis ad investigationes, praecipue quod ad baptismum et ad statum liberum spectat, quae ante matrimonium peragendae sunt, quibus diligenter observatis, procedi possit ad matrimonii celebrationem.

Can. 123 (CA 9)

§ 1. Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio invalide ac illicite celebrando remediis opportunis arcere, ideoque antequam matrimonium celebratur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

§ 2. In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium, si casus ferat, etiam iurata, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

Can. 124 (CA 17)

Omnis fideles obligatione tenentur impedimenta, si qua norint, parochio aut loci Hierarchae, ante matrimonii celebrationem, revelandi.

Can. 125 (CA 19)

Parochus qui investigationes peregerit de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem faciat parochum qui matrimonium benedicere debet.

Can 126 (CA 20, 21)

Si quod dubium post accuratas investigationes adhuc superest de existentia impedimenti parochus rem ad Hierarcham loci deferat.

Can. 127 (CA 22)

Sacerdos sine licentia Hierarchae loci ne benedicat:

- 1) matrimonium vagorum;
- 2) matrimonium quod ad normam legis civilis agnosci vel celebrari nequit;
- 3) matrimonium eius qui obligationibus tenetur naturalibus erga tertiam partem filiosve ex praecedenti unione cum illa parte ortos;
- 4) matrimonium de quo in can. 152;
- 5) matrimonium filii familias minoris insciis aut invitis parentibus;
- 6) matrimonium eius qui sententia ecclesiastica vetatur transeundi ad novas nuptias nisi quasdam conditiones impleat.

Caput II - *De impedimentiis in genere*

Can. 128 (CA 25, 26)

§ 1. Omnes possunt matrimonium inire, qui iure non prohibentur.

§ 2. Impedimentum, quamvis ex alterutra tantum parte se habeat, alteram partem etiam afficit cum iisdem iuridicis effectibus, nisi aliud iure expresse caveatur.

Can. 129 (CA 27)

Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

Can. 130 (novus)

Auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui juris impedimenta matrimonium dirimentia ne statuat, nisi gravissima de causa collatis consilii Hierarcharum aliarum Ecclesiarum quorum interest et consulta Sede Apostolica, fimo can. 138 § 2.

Can. 131 (CA 30)

Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur.

### Can. 132 (CA 29)

§ 1. Hierarchae locorum omnibus propriis subditis necnon ceteris christifidelibus proprii ritus in eorum territoriis actu degentibus, vetare possunt matrimonia in singulis casibus, sed ad tempus tantum, gravi de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam dirimentem Patriarcha, de consensu Synodi permanentis, addere potest; in aliis Ecclesiis vetito clausulam dirimentem una Sedes Apostolica addere potest.

### Can. 133 (CA 32)

§ 1. Hierarcha loci, iusta de causa, habita etiam ratione gravitatis legis, christifideles sive proprii sive alieni ritus, qui ratione domicilii vel alias tituli ei subiciuntur, dispensare potest ab impedimentis iuris ecclesiastici exceptis iis de quibus in § 3 qui sequuntur.

§ 2. Patriarcha proprios subditos ubique, et omnes sui ritus christifideles in territorio Ecclesiae patriarchalis actu degentes, dispensare potest etiam ab impedimentis de quibus in § 3 excepto n. 3.

§ 3. Sedi Apostolicae reservatur dispensatio ab impedimentis:

- 1) aetatis, quoties aetatis defectus biennium excedat;
- 2) sacri ordinis diaconatus;
- 3) sacri ordinis presbyteratus;
- 4) status monastici vel religiosi definitive assumptis, nisi agatur de monasteriis vel religionibus iuris eparchialis;
- 5) criminis de quo in can. 143 § 2;
- 6) consanguinitatis in linea collaterali in tertio gradu;
- 7) affinitatis in linea recta.

§ 4. Synodi Episcoporum facultate gaudent dispensationem ab impedimento disparitatis cultus Patriarchae reservandi.

§ 5. Nunquam datur dispensatio ab impedimento consanguinitatis in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis.

### Can. 134 (CA 33, 34)

§ 1. Urgente mortis periculo, loci Hierarcha, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi proliis, potest tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes.

§ 2. In iisdem rerum adjunctis de quibus in § 1 et solum in casibus in quibus ne loci quidem Hierarcha adiri possit, eadem dispensandi facultate

pollet tum parochus, tum sacerdos rite delegatus, tum ille de quo in canone 168 § 3. Confessarius gaudet eadem facultate si agatur de impedimento occulto, pro foro interno sive extra sive intra actum sacramentalis confessionis.

§ 3. In casu de quo in § 1, loci Hierarcha censetur adiri non posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri.

#### Can. 135 (CA 35)

§ 1. Hierarcha loci illis de quibus in can. 134 § 1 dispensationem concedere potest ab omnibus impedimentis de quibus in eodem canone exceptis impedimentis sacri presbyteratus vel diaconatus quoties impedimentum tunc solum ad notitiam Hierarchae aut parochi deferatur sive quando omnia sunt parata ad nuptias sive agatur de convalidatione matrimonii iam initi, nec matrimonium vel eiusdem convalidatio, sine probabili gravis mali periculo, deferri possit usque dum a Sede Apostolica vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, a Patriarcha dispensatio obtineatur.

§ 2. In iisdem rerum adiunctis, eadem, facultate gaudent omnes de quibus in can. 134 § 2, sub iisdem clausulis, sed solum si casus natura sua vel tantum facto sit occultus et ne loci quidem Hierarcha adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

#### Can. 136 (CA 36)

Sacerdotes de quibus in can. 134 § 2 de concessa dispensatione pro foro externo Hierarcham loci statim certiorem faciant; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

#### Can. 137 (CA 37)

Nisi aliud ferat rescriptum Sedis Apostolicae aut, intra limites cuiusque competentiae, Patriarchae vel loci Hierarchae, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa ab impedimento occulto adnotetur in secreto curiae archivo, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit.

### Caput III - *De impedimentis in specie*

#### Can. 138 (CA 57)

§ 1. Vir ante duodevigesimum aetatis annum completum, mulier ante decimum sextum item completum, matrimonium valide inire non possunt.

§ 2. Patriarchae cum suis Synodis vel Superior Auctoritas singularum

Ecclesiarum Orientalium cum Consilio Hierarcharum maiorem aetatem determinare possunt, ratione habita legum civilium necnon receptorum morum regionis, collatis consiliis cum Hierarchis aliarum Ecclesiarum catholicae eiusdem regionis.

Can. 139 (CA 58)

§ 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive absoluta sive relativa, matrimonium dirimit.

§ 2. Si impedimentum potentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum, nec stante dubio nullum declarandum.

Can. 140 (CA 59)

§ 1. Invalidae matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii.

§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud inire, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

Can. 141 (CA 62)

Invalidae matrimonium attentant qui in sacris ordinibus sunt constituti, exceptis diaconis qui coniugati ordinem sacram receperunt.

Can. 142 (CA 63)

Invalidae matrimonium attentant qui statum monasticum vel religiosum de quo in can. 1 de *Monachis ceterisque Religiosis*, definitive ad normam iuris, assumpserunt.

Can. 143 (CA 65)

§ 1. Valide contrahere nequeunt matrimonium qui, perdurante eodem valido matrimonio, notorium adulterium inter se patrarunt vel consuetudinem adulterinam inter se gesserunt.

§ 2. Invalidae quoque matrimonium inter se attentant qui mutua opera physica vel morali mortem coniugi intulerint.

Can. 144 (CA 66)

§ 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentis et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad quartum gradum inclusive.

§ 3. Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae obliquae.

§ 4. 1) Consanguinitas computatur per lineas et gradus;  
2) in linea recta, tot sunt gradus quot personae, stipite dempto;  
3) in linea collaterali, tot sunt gradus quot personae in utroque tractu, stipite dempto.

§ 5. Impedimentum consanguinitatis non multiplicatur.

Can. 145 (CA 67, 68)

§ 1. 1) Affinitas oritur ex matrimonio valido;  
2) viget inter alterutrum coniugem et consanguineos alterius;  
3) qua quis linea et quo gradu, alterutrius coniugis est consanguineus, alterius est affinis.

§ 2. Affinitas matrimonium dirimit in linea recta, in quolibet gradu; in linea collaterali, usque ad secundum gradum inclusive.

§ 3. Impedimentum non multiplicatur.

Can. 146 (CA 69)

§ 1. Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem aut ex notorio vel publico concubinatu, et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris ac viceversa.

§ 2. Matrimonium invalidum de quo in § 1, intelligitur etiam matrimonium civiliter contractum, quod est propter defectum formae canonicae invalidum.

Can. 147 (CA 70)

§ 1. Ea spiritualis cognatio matrimonium dirimit de qua in § 2.

§ 2. 1) Ex baptismo spiritualem cognitionem contrahit patrinus cum baptizato eiusque parentibus;  
2) si iteretur baptismus sub condicione, cognitionem spiritualem patrinus non contrahit, nisi iterum idem adhibitus sit.

*De Matrimonio cum non catholicis*

Can. 148 (novus: CA 50-54)

§ 1. Matrimonium inter duas personas baptizatas orientales quarum altera sit catholica altera vero non-catholica nonnisi cum Hierarchae loci li-

centia, impletis conditionibus a iure particulari determinatis, concessa, iniri licet.

§ 2. Auctoritates legislativae variarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem habentes curare tenentur ut, collatis consiliis, conditiones de quibus in § 1 in omnibus Ecclesiis eiusdem territorii eadem sint.

Can. 149 (novus: CA 50-54)

§ 1. Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica altera vero non-catholica et non orientalis, sine praevia Hierarchae loci dispensatione, prohibitum est.

§ 2. Ad impetrandam dispensationem, pars catholica declarat se paratum esse pericula a fide deficiendi removere; eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur; de his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non catholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

§ 3. Ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii, a neutro cantrahente excludendis.

§ 4. Auctoritati legislativae uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris est statuere cum modum quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, facienda sint, tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars non catholica certior reddatur.

Can. 150 (CA 60)

§ 1. Sine praevia competentis Auctoritatis dispensatione, matrimonium cum non baptizatis valide contrahi nequit.

§ 2. Si pars tempore initi matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est ad normam can. 117 validitas matrimonii donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

§ 3. Conditiones ad dispensationem quod attinet applicatur can. 149 §§ 2, 3 et 4.

Can. 151 (novus)

Locorum Hierarchae aliquique animarum pastores current, ne coniugi catholico et filiis e matrimonio cum non-catholico natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalnis et familiaris fovendam unitatem. Qua de re, optandum est, ut iidem pastores relationes instituant cum ministris aliarum communitatum religiosarum, easque sincera probitate et sapienti fiducia conforment.

### Can. 152 (Ca 55-56)

Matrimonium eius, qui notorie catholicam fidem abiecit, etsi ad communitatem acatholicam non transierit ne celebretur, nisi Hierarcha loci, servatis normis canonis 149 ad singulos casus convenienter aptatis, licentiam dederit.

### Caput IV - *De consensu matrimoniali*

#### Can. 153 (Ca 72)

§ 1. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier sese mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium.

§ 2. Consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri valet.

#### Can. 154 (novus)

Sunt incapaces matrimonium ineundi:

1) qui mentis morbo aut gravi perturbatione animi ita afficiuntur ut matrimonialem consensum, utpote sufficienti rationis usu carentes, elicere nequeunt;

2) qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda;

3) qui ob gravem anomaliam psychicam obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt.

#### Can. 155 (CA 73)

§ 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

#### Can. 156 (CA 74)

§ 1. Error in persona vel in qualitate personae in errorem personae redundans invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error in qualitate personae matrimonium dirimit si matrimonio ineundo causam dederit et qualitas, per se aut ex adjunctis, nata sit ad communitatem vitae coniugalis graviter perturbandam.

§ 3. Qui matrimonium init deceptus dolo circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad communitatem vitae coniugalis graviter perturbandam, invalide init.

Can. 157 (CA 75)

Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo ne afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem, salvo praescripto can. 155.

Can. 158 (CA 76)

Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem non necessario excludit.

Can. 159 (CA 77)

§ 1. Internus animi consensus praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut essentiali aliquam matrimonii proprietatem vel absolute excludat actum coniugalem aut prolem aut communionem vitae coniugalnis, invalide matrimonium init.

Can. 160 (CA 78)

Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem, quo ut quis se liberet eligere cogatur matrimonium.

Can. 161 (CA 83)

Matrimonium sub conditione iniri nequit; conditio si nihilominus ap- posita sit pro non adiecta habetur, firmo can. 159 § 2.

Can. 162 (CA 84)

Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae ini- tum fuerit, consensus praestitus praesumitur persevarare, donec de eius re- vocatione constiterit.

*Caput V - De forma celebrationis matrimonii*

Can. 163 (CA 85)

§ 1. Ea tantum matrimonia valide sunt quae celebrantur ritu sacro, co- ram parocho, vel loci Hierarcha, vel sacerdote cui ab alterutro facta sit fa- cultas matrimonium benedicendi et duobus saltem testibus, secundum ta- men praescripta canonum qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 168, 169.

§ 2. Sacer censetur ritus, ad effectus de quo in § 1, ipso interventu sacerdotis adsistentis ac benedicentis.

Can. 164 (CA 86)

§ 1. Parochus et loci Hierarcha a die initi officii, quandiu valide officio funguntur, valide matrimonia, sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi modo alterutra saltem pars sit adscripta Ecclesiae sui ritus, celebrant intra fines sui territorii ubique; nisi Hierarcha loci, quoad loca sui ritus, expresse renuerit.

§ 2. Hierarcha et parochus personalis vi officii matrimonium solummodo eorum quorum saltem alteruter subditus sit intra fines suae dicionis valide celebrant.

Can. 165 (CA 87)

§ 1. Parochus et loci Hierarcha, quandiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimonium celebrandi in casibus singularibus delegare sacerdotibus cuiuscumque ritus; facultatem vero generalem delegare potest tantummodo Hierarcha loci et quidem nonnisi sacerdotibus Ecclesiae proprii ritus, firmo § 3 et can. 23 § 6 *de parochis* circa facultatem generalem vicario paroeciali concessam.

§ 2. Delegatio facultatis celebrandi matrimonia, ut valida sit, determinatis sacerdotibus expresse immo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet.

§ 3. Locorum Hierarchae administrationem fidelium Ecclesiae diversi ritus ad normam iuris gerentes dare possunt cuiusvis orientalis ritus Rectoribus ecclesiarum vel aliis sacerdotibus, curam fidelium, parocho proprii ritus orborum, habentibus, generalem facultatem celebrandi matrimonia fidelium ritus orientalis, etsi a ritu Rectoris vel presbyteri diversi.

Can. 166 (novus)

Matrimonium celebratum a sacerdote ad normam can. 165 delegato, cuius tamen delegatio ob quodcumque vitium valida non est Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummodo matrimonium celebretur ritu sacro coram duobus testibus.

Can. 167 (CA 88)

§ 1. Parochus autem vel loci Hierarcha matrimonium licite benedicunt:

1) postquam sibi constiterit de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

2) habita, si condiciones deficiant de quibus in n. 1, licentia parochi vel Hierarchae domicilii vel quasi-domicilii alterutrius partis, nisi iuxta causa excuset;

3) in locis exclusivis alias ritus, nisi Hierarchae horum locorum expresse renuerint.

§ 2. Matrimonium coram sponsi parocho celebretur, nisi vel legitima consuetudo aliud ferat vel iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda, nisi vir, domicilium vel quasi-domicilium habens in regione orientali, consentiat ut matrimonium ritu sponsae et coram huius parocho celebretur.

#### Can. 168 (CA 89)

§ 1. In mortis periculo si haberit nequeat sine gravi incommodo sacerdos ad normam cann. 164 et 165, matrimonium valide et licite initur coram solis testibus.

§ 2. Extra mortis periculum si haberit vel adiri nequeat sine gravi incommodo sacerdos ad normam can. 164 et 165, matrimonium valide et licite initur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam.

§ 3. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, ipse in quantum fieri queat vocetur ut matrimonium benedicat, salva coniugii validitate coram solis testibus.

§ 4. Coniuges saltem benedictionem de qua in can. 163 § 2 a sacerdote quamprimum recipere ne negligant.

#### Can. 169 (CA 90)

§ 1. Statuta superius forma servanda est si saltem alterutra pars nuptu-  
rientium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est salvis §§ 2,3.

§ 2. Si pars catholica orientalis, de qua in § 1, matrimonium celebrat cum parte non catholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis ser-  
vanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur benedictio sacerdotis, servatis aliis de iure servandis.

§ 3. Salvo iure Hierarcharum loci a ceteris elementis formae canonicae in celebratione matrimonii gravi de causa dispensandi, a ritu sacro in cano-  
nibus requisito dispensatio Sedi Apostolicae vel Patriarchae reservatur eaque gravissima tantum de causa concedi potest.

#### Can. 170 (CA 91)

Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus et caeremoniae in libris liturgicis ab Ecclesia probatis praescriptae aut legitimis consuetudinibus receptae.

### Can. 171 (CA 79)

Ad matrimonium valide ineundum necesse est ut partes sint praesentes una simul, firmo can. 172, et consensum matrimoniale mutuo exprimant.

### Can. 172 (CA 80-82)

Matrimonium per procuratorem iniri nequit, nisi auctoritas legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris aliud propria lege statuerit, quo in casu etiam de conditionibus, sub quibus tale matrimonium iniri possit, provideri debet.

### Can. 173 (CA 93-96)

§ 1. Permissio matrimonii secreti a loci Hierarcha gravi et urgenti causa concedi potest et secumfert:

1) facultatem formam matrimonii ad ritum sacrum de quo in can. 163 § 2 reducendi, a parocho loci, Hierarcha ipso, vel sacerdote ab alterutro delegato, administrandum;

2) obligationem gravem secretum servandi ex parte Hierarchae loci, parochi, sacerdotis delegati, testium si adsint, et alterius coniugis altero non consentiente divulgationi.

§ 2. Obligatio secretum servandi, ex parte Hierarchae loci, cessat si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat.

§ 3. Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto Curiae archivo, adnotetur, nisi gravissima causa obstet.

### Can. 174 (novus)

Vetatur ne ante vel post canonicam celebrationem ad normam can. 163, alia habeatur eiusdem matrimonii celebratio religiosa ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum; itemque ne fiat celebratio religiosa, in qua sacerdos catholicus et minister non catholicus insimul, quisque ritum suum peragentes, partium consensum exquirat.

### Can. 175 (CA 92)

§ 1. Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vires gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, dispensationem a forma vel ab impedimentis, eiusque auctorem una cum impedimento eiusque gradu, delegationem concessam, atque alia secundum modum in libris liturgicis et

a proprio Hierarcha praescriptum; idque licet alius sacerdos facultate vel a se vel ab Hierarcha obtenta matrimonium celebraverit.

§ 2. Praeterea, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium inisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, parochus notitiam initi matrimonii ad parochum, apud quem coniugis baptismus ad normam canonum adnotandus est, per se vel per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam receperit.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam c. 168 initur, sacerdos, si idem celebraverit, secus tum testes cum nupturientes curare debent ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

#### Can. 176 (novus)

Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

#### Can. 177 (CA 97-98)

§ 1. Matrimonium celebretur in ecclesia paroeciali vel in alia aede sacra; in aliis autem locis celebrari non poterit nisi cum licentia Hierarchae loci.

§ 2. Tempus celebrationis matrimonii quod attinet servanda sunt normae in iure particulari uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statutae.

#### Caput VI - *De matrimonii effectibus*

#### Can. 178 (CA 99,100)

Ex matrimonio enascitur inter coniuges aequum ius et officium ad ea quae ad communitatem vitae coniugalnis pertinent.

#### Can. 179 (CA 102)

Parentes gravissimum officium et ius primarium habent prolis educationem physicam, socialem, culturalem, morallem et religiosam pro viribus curandi.

#### Can. 180 (CA 103-104)

§ 1. Legitimi sunt filii concepti aut nati ex iustis nuptiis.

§ 2. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidenter argumentis contrarium probetur.

§ 3. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post centum octoginta dies a die celebrati matrimonii, vel intra tercentos dies a die dissolutae vitae coniugalis.

Can. 181 (CA 105)

Fili illegitimi legitimantur per subsequentes iustas nuptias parentum vel per rescriptum Romani Pontificis aut Patriarchae.

Can. 182 (novus)

Nisi ex natura rei aliud constet filii legitimis aequiparantur in iure canonico illi qui legitime adoptati sunt.

Caput VII - *De separatione coniugum*

ART. I - De dissolutione vinculi

Can. 183 (CA 107)

Matrimonii vinculum sacramentale, matrimonio consummato, nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

Can. 184 (CA 109)

§ 1. Matrimonium initum a duobus non baptizatis solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii, dummodo pars non baptizata discesserit ad normam § 2 et cann. 185 et 187.

§ 2. Discedere censetur pars non baptizata si nolit pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam.

Can. 185 (CA 110)

§ 1. Ut pars baptizata novum matrimonium valide ineat, pars non baptizata semper interpellari debet:

- 1) an velit et ipsa baptismum recipere;
- 2) an saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare, sine contumelia Creatoris.

§ 2. Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at loci Hierarcha, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat, imo ab interpellatione dispensare, sive ante sive post baptismum, dummodo modo procedendi saltem summario et extra judiciali constet eam fieri non posse aut fore inutilem.

### Can. 186 (CA 111)

§ 1. Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Hierarchae partis conversae, a quo Hierarcha concedendae sunt alteri coniugi, siquidem eas petierit, inducias ad respondendum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur.

§ 2. Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, imo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat.

§ 3. In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.

### Can. 187 (CA 112)

Pars baptizata ius habet novas nuptias ineundi:

1) si altera pars negative interpellationi responderit;

2) si interpellatio legitime omissa fuerit;

3) si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione postea sine iusta causa discesserit, servatis cann. 185 et 186.

### Can. 188 (novus)

Hierarcha loci tamen gravi de causa, concedere potest ut pars baptizata, utens privilegio paulino, ineat matrimonium cum parte non catholica sive baptizata sive non baptizata, servatis etiam praescriptis de matrimoniis cum non catholicis.

### Can. 189 (CA 114)

§ 1. Non baptizatus qui plures uxores non baptizatas simul habeat, recepto in Ecclesia catholica baptismō, si durum sit cum eorum prima permanere, unam ex illis, ceteris dimissis, retinere potest. Idem valet de muliere non baptizata, qui plures maritos non baptizatos simul habeat.

§ 2. Non baptizatus qui, recepto in Ecclesia catholica baptismō, cum coniuge non baptizato ratione captivitatis vel persecutionis cohabitationem restaurare nequit, aliud matrimonium inire potest, etiamsi altera pars baptismum interea receperit.

§ 3. In casibus de quibus in §§ 1 et 2 matrimonium, recepto baptismō, forma legitima ineundum est, servatis etiam, si opus sit, praescriptis de matrimoniis cum non catholicis et aliis de iure servandis.

§ 4. Hierarcha, prae oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum curet ut eorum qui dimisi sunt necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christianaē caritatis et naturalis aequitatis.

Can. 190 (CA 116)

In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

Can. 191 (novus)

Matrimonium inter personas quarum una saltem baptizata non est a Romano Pontifice solvi potest in favorem fidei.

Can. 192 (CA 108)

Matrimonium non consumatum solvi potest, iusta de causa, a Romano Pontifice, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

Can. 193 (novus)

Ad obtinendam solutionem matrimonii de qua in canonibus 191 et 192 servandae sunt normae a Sede Apostolica statutae.

#### ART. II - De separatione manente vinculo

Can. 194 (CA 118, 119)

§ 1. Licet enixe commendetur ut coniux, caritate christiana motus et boni familiae sollicitus, veniam non abnuat comparti adulterae atque vitam coniugalem non disrumpat, si tamen eiusdem culpam expresse aut tacite non condonaverit, ius ipsi est solvendi coniugalem convictum, nisi in adulterium consenserit aut eidem causam dederit vel ipse quoque adulterium commiserit.

§ 2. Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus fuerit; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalnis communio nem servaverit, neque recursum apud auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit.

§ 3. Si coniux innocens sponte vitae coniugalnis communionem solverit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus inspectis adiunctis, perpendat si coniux innocens adduci possit ut culpam condonet et separationem non protrahat.

Can. 195 (CA 120)

§ 1. Si alteruter coniugum culpabiliter vitam communem sive coniugi sive filiis periculosam vel nimis duram reddat, alteri legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Hierarchae loci et etiam propria auctoritate si periculum sit in mora.

§ 2. Synodi episcoporum in Ecclesiis patriarchalibus vel Sedis Apostolicae in ceteris Ecclesiis est causas separationis, pro moribus populorum et locorum circumstantiis, statuere.

§ 3. In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est.

Can. 196 (CA 121)

Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de debita filiorum sustentatione et educatione catholica et civili.

Can. 197 (novus)

Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem rursus admittere quo in casu iuri separationis renuntiat.

*Caput VIII - De matrimonii convalidatione*

*ART I - De convalidatione simplici*

Can. 198 (CA 122)

§ 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum, requiritur ut cesse vel dispensemur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscientia.

§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem convalidationis etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revo- caverit.

Can. 199 (CA 123)

Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod renovans sciatur aut opinetur ab initio nullum fuisse.

Can. 200

§ 1. Si impedimentum sit publicum consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 169 § 3.

§ 2. Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto; et quidem a parte impedimenti conscientia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, aut ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum.

### Can. 201 (CA 125)

§ 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet.

§ 3. Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus renovetur forma canonica.

### Can. 202 (CA 126)

Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, iniri denuo debet canonica forma.

## ART. II - De sanatione in radice

### Can. 203 (CA 127)

§ 1. Matrimonii irriti sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu, de qua in cann. 198-202, et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retrotractionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliud expresse caveatur.

§ 3. Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte in scia; ne autem concedatur nisi probabile sit partes in vita coniugali persevere velle.

### Can. 204 (CA 128)

§ 1. Matrimonium irritum ob impedimentum vel ob defectum legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Matrimonium irritum ob impedimentum iuris naturalis aut divini positivi sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit.

### Can. 205 (CA 129)

§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Can. 206 (CA 130)

Patriarchae et locorum Hierarchae concedere possunt sanationem in radice in singulis casibus si validitati matrimonii obstat defectus formae celebrationis vel impedimentum in casibus in quibus ipsi dispensare possunt, salvis praescriptis canonum 148-152; in ceteris casibus sanatio in radice concedi unice potest a Sede Apostolica.

## Titulus VIII

### DE SACRAMENTALIBUS LOCIS TEMPORIBUSQUE SACRIS, CULTU SANCTORUM VOTO ET IUREIURANDO

#### Caput I - *De Sacramentalibus*

Can. 207

Quod attinet ad sacramentalia, quae sacra sunt signa quibus, in aliquam sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetracione obtinentur, et per quae homines ad praecipuum sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adjuncta sanctificantur, sedulo servanda sunt normae in libris liturgicis legitime adprobatis uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statutae.

#### Caput II - *De locis sacris*

Can. 208

Loca, quae ad divinum cultum destinantur, nonnisi ex licentia Hierarchae loci erigi possunt, de cetero vero reguntur iure tantummodo particuli, firmis canonibus qui sequuntur.

#### ART. I - De ecclesiis

Can. 209

Ecclesia est aedes exclusive divino cultui dedicata consecratione vel benedictione quam liturgici libri ad hoc praescribunt.

Can. 210

Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Hierarchae loci consensu scriptis dato, quem tamen Syncellus praestare nequit sine mandato speciali.

Can. 211

§ 1. Divina officia in nova ecclesia ne celebrentur nisi post consecrationem vel saltem benedictionem.

§ 2. Consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales, et, quantum fieri potest, ecclesiae paroeciales, ecclesiae monasteriorum et ecclesiae domui religiosae adnexae.

§ 3. Consecratio reservatur Hierarchae loci, qui potest alium Episcopum ad hoc delegare. De peracta consecratione vel benedictione ecclesiae redigatur documentum.

#### Can. 212

§ 1. Arcendum est ab ecclesiis quidquid a loci sanctitate absonum sit.

§ 2. Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet, mediaque securitatis adhibeantur ad bona sacra et pretiosa tuenda.

#### Can. 213

§ 1. Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et possibilitas non datur eam reficiendi, in usum profanum ab Hierarcha loci redigi potest.

§ 2. Item si Hierarcha loci iudicat bono animarum magis proficere ut aliqua ecclesia ad cultum publicum non amplius adhibeatur eam in usum profanum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eam sibi legitime vindicant.

### ART. II - De coemeteriis et de sepultura ecclesiastica

#### Can. 214

§ 1. Omnes fideles defuncti exsequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt.

§ 2. Exsequiae seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebranda sunt juxta ritum liturgicum et normas Ecclesiae ad quam defunctus pertinebat.

#### Can. 215

In exsequiarum celebratione omnis personarum acceptio evitetur.

#### Can. 216

§ 1. Omnes fideles et catechumeni defuncti exsequiis ecclesiasticis donandi sunt, nisi iisdem a jure expresse priventur.

§ 2. Concedi possunt ecclesiasticae exequiae non-Catholicis baptizatis, de prudenti loci Hierarchae judicio.

§ 3. Alii etiam qui aliquo modo ad Ecclesiam propinquai videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae item de prudenti loci Hierarchae iudicio, ad normam legum liturgicarum recipere possunt.

§ 4. Illis qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianaे vitae adversis, concedendi sunt exsequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati, ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepeliendi anteponere, vitatoque periculo scandali.

Can. 217

Exsequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa, peccatores quibus eaedem non sine publico fidelium scandalo concedi possunt.

Can. 218

§ 1. Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.

§ 2. Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur vel saltem spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata, alterutra rite benedicenda; si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur.

§ 3. In ecclesiis defuncti ne sepeliantur, reprobata contraria consuetudine, nisi de iis agatur qui Patriarchae vel Episcopi residentiales fuerunt.

§ 4. Paroeciae, Monasteria ceteraque Communitates religiosorum coemeterium proprium habere possunt.

Can. 219

Curent Hierarchae ne ullo modo taxae exigantur occasione exequiarum, unice eas oblationes permittentes quae ex fidelium spontanea voluntate fiunt.

Can. 220

Expleta tumulatione, in libro defunctorum describantur nomen et aetas defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta administraverit, locus et tempus tumulationis.

Caput III - *De diebus festis et paenitentiae*

Can. 221

§ 1. Dies festos et paenitentiae pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes constituere, transferre aut supprimere unius est Synodi Oecumenicae vel Sedis Apostolicae.

§ 2. Dies festos et paenitentiae pro singulis Ecclesiis Orientalibus constituere, transferre aut supprimere, praeter Apostolicam Sedem, competit Synodis Episcoporum, debita tamen ratione habita totius regionis ceterarumque Ecclesiarum et firmo can. 3 *De Ritibus*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Agitur de canone 3 publici juris facto in *Nuntia* 3 pag. 48.

Can. 222

Diebus dominicis aliisque festis de pracepto fideles obligatione tenentur interesse Divinae Liturgiae aut celebrationi divinarum Laudum ad normam can. 43; abstineant his diebus ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt.

Can. 223

Diebus ieiunii et abstinentiae fideles obligatione tenentur paenitentiam agendi modo a iure particulari statuto.

Can. 224

§ 1. Singuli fideles extra territorium Ecclesiae sui iuris, cui adscripti sunt, versantes, quoad legem de diebus festis et paenitentiae, ad disciplinam in loco ubi degunt vigentem se plene conformare possunt.

§ 2. In familiis mixti ritus ubicumque terrarum hanc legem servare licet iuxta unum eundemque ritum.

Caput IV - *De cultu sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum*

Can. 225

Bonum atque utile est Dei Servos una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur.

Can. 226

Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos relati sunt.

Can. 227

Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi modo et ordine a iure particulari cuiusque Ecclesiae sui iuris statuto.

Can. 228

§ 1. Imagines pretiosae, idest vetustate, arte aut cultu praestantes in ecclesiis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine data scriptis licentia ab Hierarcha; qui, antequam eam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.

§ 2. Licentia Hierarchae necessaria quoque est quando agitur de alienatione vel translatione in aliam ecclesiam imaginum de quibus in § 1.

Can. 229

Insignes reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo trasferri sine licentia Patriarchae de consensu Synodi permanentis aut, extra territoria Ecclesiae patriarchalis, sine licentia Sedis Apostolicae.

Caput V - *De voto et iureiurando*

Can. 230

§ 1. Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

§ 2. Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.

§ 3. Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.

§ 4. Votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, secus privatum.

Can. 231

Votum non obligat, ratione sui, nisi emittem. *Can. 232*

Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, suspensione, dispensatione, commutatione.

Can. 233

Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obligationem tantiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

Can. 234

§ 1. A votis privatis suos subditos, iusta de causa dispensare possunt, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quae situm, omnes Hierarchae; locorum vero Hierarchae dispensare possunt etiam a votis privatis ceteros christifideles proprii ritus in eorum territoriis actu degentes.

§ 2. Dispensatio de qua in § 1 et sub eadem conditione, pro foro interno tantum, concedi potest a quolibet confessario.

Can. 235

Vota ante professionem monasticam vel religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in Monasterio, Ordine vel Congregatione permanserit.

Can. 236

Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, coram Ecclesia praestari potest tantummodo in casibus iure statutis, secus nullum parit canonicum effectum.

## THE SCHEMA DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO - Part 1

The revision of the schema *De Magisterio Ecclesiastico* was entrusted to the same Study Group as had the task of revising the schema *De Clericis in genere*. Having taken up this latter schema first, the Group got busy with the revision of the schema *De Magisterio Ecclesiastico* only in its session of 12-24 March 1979. By that time, the membership of the Group had undergone some change (cf. *Nuntia* 8, p. 102). Vartaped Mesrob Krikorian of the Armenian Orthodox Church was also present as an Observer; his agreeable presence and timely interventions were always gratefully appreciated.

In this session, the Study Group first set to work on the preliminary canons of the *initial text* of the schema (published in *Nuntia* 3, p. 71ss). Then, it took up the section *De praevia censura librorum eorumque prohibitione* (*ibid.*, pp 87-91), which had been briefly surveyed already in a previous session in December 1977 and given a new title: *De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris*. The single canon of *De Fidei Professione* (*Ibid.*, pp. 91-92) was rapidly examined, and the possibility of distributing the content of the same canon in different relevant parts of the future code was to be further explored. Now the Group returned to the *Caput I De divini verbi praedicatione* of the initial text (*ibid.* pp. 72-76), consisting of two Articles: *De catechetica institutione* (art. I) and *De sacris contionibus* (Art. II). Leaving Article I for revision in the next session, the Group focused its attention on the rest of this Caput I, to which it gave a new title *De divini verbi ministerio*. This change was suggested by Vatican II, *Dei Verbum* 24: «Ministerium verbi, praedicatio nempe, catechesis omnisque instructio christiana ... (sacrae) Scripturae verbo salubriter nutritur». Preaching the word of God and catechesis are thus two modes or species of the ministry of the word. Following this lead of the Council, the Group placed under the general title *De divini verbi ministerio* the above mentioned two Articles, renaming the second *De sacris contionibus* as *De verbi Dei praedicatione*. According to the new schema, therefore, the *De divini verbi ministerio* is to have the following two Chapters or Articles: 1. *De verbi Dei praedicatione*, 2. *De catechetica institutione*.

The following report proposes to present the work done by the Study Group *De Magisterio Ecclesiastico* in its first session, under the following three heads: 1. Preliminary canons; 2. *De divini verbi ministerio* with its *Caput I De verbi Dei praedicatione*; 3. *De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris*.

As regards the general title *De Magisterio Ecclesiastico*, the Group

found no objection to the continuation of its usage or any positive advantages in changing it. No better title was proposed, and so the present title has been retained, in its traditional canonical sense (cf. CIC cc. 1323 §1 and 1366 §1).

### I. Preliminary Canons

Norms of general nature on ecclesiastical magisterium are given here in ten canons. In formulating them, the Study Group first took note of the fundamental norms in this matter, as are the canons 54-63 of the *Lex Ecclesiae fundamentalis*. It also examined the 7 canons *De fide catholica*, formulated by the previous Oriental Code Commission (cf. *Nuntia 2*, pp.56-57) as well as the 3 preliminary canons of the «initial text» (*Nuntia 3*, pp. 71-72). The present canons, while keeping to their general character, are complementary to the norms of the *Lex Ecclesiae fundamentalis*, but omit such purely moral rules as are found in the initial text.

#### Can. 1<sup>1</sup>

*Verbum Dei assidue audiens religioseque conservans, Ecclesia tenetur,  
Spiritu veritatis conducta, Christi Magistri vices agere omnesque homines  
docere.*

Like most schemas, *De Magisterio Ecclesiastico* also begins with what may be called «a leading canon», that is, a canon that points to the nexus between the juridical norms that follow and their theological foundation. The canons of the Church must be seen to be «*ordinatio fidei*» even more than «*ordinatio rationis*». And the first canon purports to be a help in this direction, without thereby ceasing to be juridical (cf. «*tenetur*»).

The Church's magisterium is vicarious to that of the one *magister*, Jesus Christ, in whose mission the Church shares and whose command to teach all she obeys. But before being a teacher, the Church must be a hearer of the word of God, and keep it with scrupulous fidelity. In the exercise of her teaching function, the Church is led by the Holy Spirit, the Spirit of Truth (Jn 14: 17,26; 16:13). Cf. *Dei Verbum*, 1, 2, and especially 10: «*magisterium...verbum Dei...pie audit, sancte custodit, et fideliter exponit.*».

The above version of the first canon is the result of a revision (effected by the Group in its second session in November-December 1979) of a previous text passed in the first session, which ran: *Verbum Dei assidue audire*

<sup>1</sup> Note of the Secretariate: As regards the omission of this canon in the *Coetus Centralis* of April 1980, together with other amendments to the draft canons, see the «Note concerning the *denua revisio* of the canons *de Magisterio ecclesiastico* in April 1980», on pages 83-86 of the present number of *Nuntia*.

*omnibusque gentibus nuntium in Christo salutis notum facere primum Ecclesiae est officium.* This wording was felt to be too partial to evangelization to be a general introduction to *De Magisterio Ecclesiastico*. — What is said of the Church as a whole in the first canon is now further specified for each individual faithful: canon 2 deals with the *duty*, canon 3 with the *right*, which is variously differentiated.

Can. 2

*Inhaerentes verbo Dei atque vivo Ecclesiae magisterio pastorali adhaerentes tenentur christifideles donum fidei, immenso pretio a majoribus custoditae ac transmissae, integre conservare et aperte profiteri, necnon eam et exercendo magis intellegere et in opera charitatis fructificare.*

Can. 3

*Nuntium salutis aliis communicare uniuscuiusque est christifidelis, ut-pote Baptismo consecrati et chrismatione Sancti Myri firmati, pro sua cuiusque competentia; in nomine autem Ecclesiae docendi munus solis Episcopis competit; in eodem tamen munere partem habent ad normam iuris sive qui Episcoporum per ordinem sacrum effecti sunt cooperatores vel adjutores, sive qui ordine sacro non aucti mandatum docendi receperunt.*

The duty of the faithful in canon 2 is rooted in the fact that faith is a gift, and it bids them to live their life of faith based on the word of God and in adherence to the teaching of the Pastors of the Church. This duty further bids them to keep intact and profess their faith openly, to understand it better not only by study but also by praxis (*et exercendo*) and to make it bear fruit. The teaching function in the Church is thus set in the context of a living and operative faith in search of fuller understanding (cf. *Dei Verbum* 10; «de fide catholica», cc. 3 and 4).

All have the human right to communicate to others their ideas, not excluding those on God and religion. Besides, through baptism and chrismation Christians share in the prophetic or teaching function of Christ. Each Christian may therefore teach, but only «proprio nomine», not «in nomine Ecclesiae». This latter requires a mission received from the Church. The bishops have this mission *per se* by their ordination and only they may teach in the name of the Church. Others however share in this mission either through Ordination (presbyters and deacons) or through special mandate (teachers of sacred sciences in ecclesiastical Faculties or in seminaries, catechists, etc.). In canon 3, «nuntium salutis» replaced «veritates salutares» (the plural was objected to) of the original draft schema, and was preferred to «nuntium evangelicum» of a motion; but perhaps it is still too narrow to embrace the whole extent of the objet of Christian teaching (*didaché*) as distinct from the message (*kérygma*) of salvation.

#### Can. 4

*Munus verbum Dei authentice docendi magisterio pastorali Episcoporum, sive singulorum sive in Synodis coadunatorum, competit; aliquam doctrinam autem de fide vel de moribus definitivo actu proclamare ad solum magisterium Ecclesiae Supremum spectat.*

The teaching of bishops whether singly or gathered in council, is authentic, that is to say, is the official teaching of the Church. But no instance lower than the highest teaching authority in the Church may define a dogma; hence, neither individual bishops nor the Synods of Particular Churches may do so. The Study Group voted against a suggested addition (2-7-0): «Episcopis in nomine Christi docere competit nonnisi quod traditum est», not because the text lacked conciliar authority (cf. *Dei Verbum*, 10), but the addition was generally felt to be unnecessary.<sup>1</sup>

#### Can. 5

*Ecclesiis particularibus officium incumbit, imprimis Patriarchis et Episcopis, modo unicuique generationi et culturae accomodato ad perennes hominum interrogations respondendi necnon res urgentioris momenti sub lumine Evangelii, signa temporum perscrutando, interpretandi, ita ut clarescat ubique magis lux Christi illuminans omnes homines.*

Besides teaching the word of God, the pastoral teaching in the various individual Churches should also extend to all matters connected with faith and salvation — questions that perennially recur or are urgent for the time being. Only thus can the light of Christ illuminate ever more fully all, generations and cultures. In other words, it is not enough for Pastors just to repeat what has been handed down; pastoral magisterium should also be relevant (cf. *Gaudium et Spes*, nn. 4 and 46 and 62). All this may be summed up in one word: inculturation.

#### Can. 6

*In cura pastorali non tantum principia scientiarum theologicarum sed etiam inventa aliarum scientiarum satis agnoscantur et adhibeantur, ita ut etiam fideles ad maturiorem fidei vitam ducantur.*

#### Can. 7

*Litterarum artiumque cultus, pro earum vi ad sensum fidei singulari efficacia exprimendum et communicandum, agnita justa libertate et diversitate culturali, provehatur.*

<sup>1</sup> In citing results of voting, as here (2-7-0), the first number refers to the *Placet*, the second to the *Non placet*, and the third to abstentions.

Canon 6 is almost a verbal transcription of *Gaudium et Spes*, 62, where psychology and sociology are expressly mentioned in relation to a purer and maturer life of faith. The same conciliar passage has suggested canon 7, having arts like music, painting, and dance in mind. Both the canons 6 and 7 discipline further certain specific areas of inculturation as regards the ecclesiastical magisterium.

#### Can. 8

*Ecclesiae pastoribus imprimis est curare ut inter varietates enuntiationum doctrinae in variis Ecclesiis vel culturis idem sensus fidei servetur atque promoveatur neve unitas fidei damnum patiatur, immo magis catholicitas Ecclesiae per pluralismum in meliorem lucem ponatur.*

#### Can. 9

*Ad Episcopos praesertim in Synodis coadunatos, singulariter vero ad Primam Sedem, pertinet, catholicam integritatem et unitatem fidei et morum auctoritative tueri et religiose defendere, etiam reprobando quatenus opus est sententias quae eisdem contrariae sint vel monendo de iis quae eadem in discrimen ponant.*

Theological pluralism as a consequence of inculturation is not only legitimate (*Unitatis Redintegratio*, 17: «enuntiatio diversa doctrinarum theologicarum») but can highlight the catholicity of the Church, but it should not damage the unity of faith, rather promote the same sense of faith (*Gaudium et Spes*, 62). Pastors have the prime responsibility for this unity and catholicity (can. 8), for which sometimes they may have to condemn a certain doctrinal position (can. 9).

#### Can. 10

§ 1. *Theologorum est pro sua mysterii salutis profundiore intelligentia et scientiarum sacrarum affiniumque necnon novarum questionum peritia fidem Ecclesiae illustrare et defendere progressuque doctrinali viam parare.*

§ 2. *In ea qua par est libertate utenda veritates theologicas investigandi et exprimendi, eorum est communitatis fidei aedificandae sollicitos esse atque, etsi missione canonica non muniti, cum episcopatu in ipsius munere docendi sollerter cooperari.*

§ 3. *Qui theologicis disciplinis praesertim in Seminariis et Studiorum universitatibus incumbunt, cum hominibus qui in aliis scientiis excellunt, collatis viribus atque consiliis cooperari studeant.*

This final canon reflects *Gaudium et Spes*, 62 (§3 is a literal quotation) and refers to the *Theses de Magisterio et Theologia* (1976) of the Pontifical

Theological Commission, without however being an exhaustive statement about the role, rights and duties of theologians. Theirs is a service of faith for the building up of the community of faith; consequently, they must be ready to cooperate with the bishops; obviously, *vivo Ecclesiae magisterio pastorali adhaerentes* (can. 2) applies also to theologians. A quotation from St. Thomas Aquinas (which was brought to the attention of the Group, in justification of the terminology «de magisterio ecclesiastico»), may be an apt conclusion. He says, «docere sacram Scripturam contingit...ex officio magisterii, sicut magistri theologiae docent» (In IV Sent. d. 19, q. 2, a. 2, q<sup>a</sup> 2 ad 4); but, «imminent pericula spiritualia his qui habent magisterii locum. Sed pericula magisterii cathedrae pastoralis devitat scientia cum caritate..., pericula autem magisterii cathedrae magistralis vitat homo per scientiam» (*Quodl.* q.3, a. 9 ad 3).

The reader will have noted that there is no canon on heresy among these preliminarily canons. This omission is surely not due to any unrealistic optimism on the part of the Study Group: after prolonged debate, it finally decided that the proper place to speak of heresy (along with schism and apostasy, as in the initial text) was somewhere in *De delictis et poenis*. In fact, the first Oriental Code Commission had consigned to a new section «de fide catholica» (cf. *Nuntia* 2, pp. 56-57, c. 5) the relative canon about heretics, schismatics and apostates, originally found in *De Magisterio Ecclesiastico* of CIC (c. 1325 §2). Evidently, schismatics and apostates are less fitted to be treated alongside heretics in the section on ecclesiastical magisterium. Rather, it is heresy and not heretics that should be defined here, if at all; and a definition of schism and apostasy would still be out of place.

The Group started with examining three canons proposed by the Relator, defining respectively heresy, schism, and apostasy as *delicta*, with the suggestion that the latter two be transferred elsewhere. The text was:

«1. Dicitur haeresis delictum contra communionem fidei Ecclesiae, quo quis christifidelis contumaciter respuit vel in dubium vocat aliquam veritatem salutarem ex fide divina et catholica credendam.

2. Schismatis nomine intelligitur delictum contra communionem regiminis ecclesiastici, quo quis christifidelis vel coetus christifidelium sive contra legitimam auctoritatem episcopalem rebellat, sive cum legitima communitate Ecclesiae catholicae recusat communicare.

3. Apostasia locum habet si quis christifidelis a communione ecclesiasticaliter recedit».

But the Group was not happy with the presentation of heresy, schism, and apostasy as *delicta* in the first place. Various efforts were made at reformulation, the simplest of which was the following.

«Dicitur haeresis alicuius veritatis fide divina et catholica credendae

negatio aut de eadem dubitatio; apostasia fidei christiana ex toto repudiatione; schisma a communione regiminis ecclesiastici separatio.»

Now for and against the inclusion of «pertinax» in the definition of heresy was debated. In the end, a minor group of three members was set up to produce a satisfactory formula. This group proposed: 1) to avoid defining heretics or heresy, etc. 2) to transfer this material to *de delictis et poenis*, can. 39 of the new schema, with the following text.

«§ 1. Qui aliquam veritatem fidei divina et catholica credendam denegat vel de ea dubitationem profert aut fidem christianam ex toto repudiat et a legitima Auctoritate ecclesiastica admonitus non resipiscat, ut haereticus aut apostata excommunicetur.

§ 2. Qui subjectionem Supremae Ecclesiae Auctoritati detractat et a legitima Auctoritate admonitus suam actionem omnino non revocat, ut schismaticus excommunicatione plectatur.»

This proposal was accepted, and the text voted (7-2-0).

## II. *De divini verbi ministerio*

This section also contains ten canons, the first two dealing with the ministry of the word in general and the following eight dealing with preaching in particular.

### Can. 1

*Ministerium verbi, praedicatio nempe, catechesis omnisque instructio christiana, inter quae homilia liturgica eximium locum habeat oportet, Sacrarum Scripturarum verbo salubriter nutriatur; celebratio vero verbi Dei opportune foveatur.*

This canon, following *Dei Verbum* 24, spells out what the ministry of the word in the Church extends to and directs that it should be nourished by Scripture. And the «celebratio verbi Dei» in the second part refers to the conciliar Constitution on the liturgy *Sacrosanctum Concilium*, 35 §4, where Bible Vigils and other such celebrations are encouraged, especially in the absence of priests.

### Can. 2

*Episcopi, presbyteri et diaconi praecipuum munus divini verbi ministerii habent, quod Episcopi per se ipsi absolvere tenentur; ceteri vero christificantes pro sua cuiusque competentia et mandato accepto libenter participant in ministerio verbi.*

